# AVGVSTINI BEATIANI AD FRANCISCVM DONATVM ELECTVM VENETIARVM PRINCIPEM CARMEN.

CVM PRIVILEGIO

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

VENETIIS APVD GABRIELEM IOLITVM DE FERRARIIS.

M D XL V I I I.

# AVGVSTINVS BEATIANVS MARCO ANTONIO IVSTINIANO HIERONYMI PROCVRATORIS FILIO SALVTEM.

EORVM *mos eſt, qui, cum aliquid cuipiam debeant, ſi una ſolutione ſe minime poſſe diſſoluere intelligunt, ut duabus, uel pluribus ſolutionibus id efficere conentur. Cum igitur quamplurimum tibi me debere fatear ob beneficiorum memoriam, quæ in me tam* Romæ, *quam* Venetijs *mirifica animi hylaritate contuleris: aßidua meditatione mecum ipſe conſiderans, quidnam mea præſtare poßit induſtria; quc ſi non ex omni,*

*ex aliqua ſaltem parte tibi ſatisfaciã; nihil tibi gratius eſſe cognoui, quam ui dere Franciſcum Donatum, olim Senatorem clariſſimum, nunc uero Venetiarum Principem laudibus exornatum uolare (quod aiunt) ora per uirorum. Ideoq́; licet mihi uenam dicendi tenuiſſimam Natura, ſtudiumq́; cõcesserint; uirum omni laudatione maiorem, quo potui, carmine celebraui. In qua quidem re, tanquam hiſtoriam conſcriberẽ, ſumere potius à ueritate colores, quam a poeticis figmentis magis conducere iudicaui. Hoc autem, qualecunq́; ſit carmen, tuo nomini dicatum emitti uolui, non ut quod fecerim; ſed ut quod facere uoluerim benigna æſtimatione conſideres. Vale.*

# AD FRANCISCVM DONATVM ELECTVM VENETIARVM PRINCIPEM AVGVSTINI BEATIANI CARMEN.

AN timeam Vir magne tuas ego dicere laudes
Hac, qua uoce datur, Muſa eſt ſi dotibus impar,
Quas tribuit Natura tibi, ſtudiumq; uidemus
Perfeciſſe, adeo, meritò ut iam gloria tollat
Te ſuper ætherias arces, populo unde ſequenti
Exemplum, quo fama uehat, præbebis, erisq; ?
An deceat uitare, olim quodcunq; pudoris
Attulerit, tanta uirtutum luce nitentem
Laudatum noſtris uoluiſſe intexere chartis?
Non'ne magis fuerit turpe obticuiſſe, patiq;
Indictum, & nullo depictum carmine linqui;
Muſarum cui iure omnes debentur honores,
Quidquid & è Cyrrhæ penetralibus effluit undæ?
Præcipue cum ſueta mihi mendacia Vatum
Fingere non ſit opus; ſat uerum promere tantum,
Audeat haud ullis quod liuor carpere uerbis.
Quis multa enituiſſe tuum uirtute parentem
Neſcit, & in patria celebrem uixiſſe, futurus

Filius ut poſſet claro de ſemine naſci?
Nanq; bonos prodire bonis è patribus; unam et
Quamq; ſibi ſimilem plantam producere mos eſt.
Teq; ideo uitam a puero inſtituiſſe fatentur
Criminis exortem; quam nec mutauerit ætas
Vlla ſequens, uerum creſcentibus auxerit annis.
Ac ueluti, exiguis fluuius cum naſcitur, undis
Principio fertur; mox terram, fontibus auctus,
Paulatim cauat, unde uiam ſibi comparet; altas
Inde fluens, lato perſtringit gurgite ripas,
Perpetuoq; ruens prorumpit in æquora curſu.
Felix, cui tanto primam ſplendore iuuentam
Exercere datum eſt, & nota pericula firmo
Euaſiſſe gradu. pauci, quos æquus amauit
Iuppiter, id potuere uiri; nam feruidus urget
Tunc ſanguis; mentem exagitans: & currere ſenſus
Cogit in imperium, & ratio labefacta quieſcit,
Nilq; pudet ſeruo dominam ſeruire Tyranno.
Se poſtquam inſediſſe tuum prudentia pectus
Oſtendit; cœpitq; graui mulcere Senatum
Eloquio; grææ meritò cui cedere poſſent,
Et latiæ celebrata adeo miracula linguæ;
Protinus ad patriæ es certatim euectus honores
E procerum numero, quibus eſt data cura tuendi
Imperij iura, & rerum permiſſa poteſtas.
Non ſplendore auri, non ambitione coactum,
Quæ cuiquam placitura forent, te dicere quiſquam
Audijt, hæc niſi tu patriæ conferre putaris;
Nil priuati animo geſtans; ſed nocte, dieq;
Publica præmeditans ad commoda publica uerſus

*Aegiſti ciuis tanquam, eſt bona, & aurea cui mens.*
*Ingentem hæc tibi nota fidem peperere uiderent,*
*Quod qua abſtruſa animæ latebris ſolet eſſe, uoluntas*
*Picta figura uelut, prolata in uoce pateret.*
*Fœdera ſint ferienda utrum hoc cum rege, uel illo;*
*Aut quando placidæ contemnere munera pacis*
*Nos decet, & bellum amplecti, induere arma, manuq́;*
*Prœlia conſerere, ac tabo infectare fluenti*
*Gramina purpureos quondam geſtantia flores,*
*Quis melius nouit? nam quamuis bella peroſus*
*Pacem adames, populis ut quæ gerat otia, largas*
*Diuitiasq́; paret; nec moribus impleat Vrbem*
*Inſolitis, unde irrepat diſcordia monſtrum*
*Infelix, ubi ſit cladem, exitiumq́; futurum;*
*Attamen haud ullum pacis patiaris amore*
*Dedecus; & cupiens uitam pro laude paciſci,*
*Et Ianum reſerare uelis, Martisq́; tumultum*
*Mente probes, uariasq́; hominum per uulnera cœdes.*
*Quid memorem, fidei ulla tuæ eſt ſi Vrbs credita, mitis*
*Quam fueris, quam iuſtus item; clæmentia quamue*
*Abs te uel minimum nunquam diſceſſerit unguem?*
*Nec tacuit nec fama tacet, tua nomina Iuli*
*Eſt audire Forum reſonare, & uocibus auras*
*Pulſare aßiduis, meritas tibi dicere laudes,*
*Atq́; dari ſimilem ſummis expoſcere uotis.*
*O utinam incedat tua per ueſtigia, quiſquis*
*Mittitur, externis ius dicat ut urbibus, utq́;*
*Iuſticiam è Venetis nunquam decedere terris*
*Exemplo doceat, ne detur cauſa querelis;*
*Quod ſit, ubi a prauo ſententia iudice lata eſt,*

*Cui legem imponit, lucri ſcelerata libido.*
*Qui ſequitur tua dicta, modoq́; operatur eodem,*
*Is populos potis eſt nodo uincire fideli;*
*Cogere & ut ſuperos precibus, uotisq́; fatigent,*
*Ne cedat imperium, tales præbere miniſtros*
*Quod ſolet; ut maneat cum ſole, unaq́; fatiſcat,*
*Deſinat & uolui firma uertigine cœlum.*
*Ipſe, ut iuſticiam coleres, nullæq́; ualerent*
*Diuitiæ reuocare animum, ſed tendere poſſes*
*Quo uirtus curas te uertere ſuaſerat omnes;*
*Parca licet fuerit; contentus uiuere gaza,*
*Qua Patrem uixiſſe, nec indoluiſſe uidebas;*
*His deſiderijs cœpiſti ſoluere mentem,*
*Vnde agitur tranſuerſa; uelut cum turbine fertur*
*Acta ratis ualido, (quod uiſum eſt ſæpius) hæret*
*Vel detenta uadis, ſcopulóue infixa dehiſcit,*
*Viſa procul mare ſulcanti incuſſura timorem.*
*Hoc ſe ſe exercet campo cui laurea crinem*
*Ambiat, atq; ſui tot poſt certamina uictor,*
*Regnum accepturus, ſua temnere doctus, & inde*
*Egregie curare alijs quæ commoda præſtent.*
*Te fecere Ducem ſapientia; criminis expers*
*Vita; & priuatis reſecaſſe affectibus alas,*
*Ac frenaſſe, uelut ſub duro compede uinctos.*
*Nanq́; uni é clauſis patribus cum debitus eſſet*
*Tantus honor; plures & iam inclinaſſe timerent*
*In tua uota animos, tibi quisq́; eſt tamen auſus*
*Obijcere, ut poſſes iure, aut non iure notari;*
*Culpa tuis adeo meritis aliena putatur.*
*Non te crediderim cœpiſſe obliuia, cum tu*

Egrederere domo, & peterent palatia Ciues
Vt de more Ducem eligerent; quot millia, miro
Indicio proni Diuum in tua regna fauoris;
Obuia facta, Ducem tanquam, rerumq; potitum
Ore ſalutarint, orarint corde Deorum
Numina quenquam alium Adriaca ne in ſede locarent,
Poſcere nil melius patriæ ſe poſſe putantes.
Maxima dicenda eſt hominis hæc gloria, multo
Maior, quàm capiti geſtare inſignia regni.
Romulidum hæc res una poteſt æquare triumphos,
Cæſaris & lauros; & cuius Marte, manuq;
Perſidis imperium cecidit. mortalibus illa
Conueniunt, dantur cœleſtibus iſta, quid ultra
Iam petis? eſt tibi parta olim reuerentia cœlo
Debita dum ſpiras, ſupera dum ueſcitur aura.
An ſine mente Deum uoces iactaſſe putandum eſt
Te populum aſsidue per compita cuncta uocantem,
Vt patrem, ut dominum, ſit res cui publica cordi,
Nec toleret linqui, ceu mortua corpora, leges.
Adriacum imperium te Fata, Deusq; uolebant
Dirigere; & placide noſtros componere mores,
Ad normam ueterum, non ui, ſed ſponte, probos ut
Diligeres, contraq; alios procul ire iuberes.
Nunc demum imperij pulſa formidine puppis
Audebit tractare fretum ſecura pericli,
Dextra gubernaclum tua dum regit, omnia tentet
Quæ Mare cunq; poteſt, opus eſt, ut ſeruiat arti,
Qua tecum Argous metuat contendere Typhis.
Cum mare tranquillum eſt, cum ſpirant mollius auræ
Neptuni ignauo ſulcabimus æquora curſu,

*Et uario peragemus iter, luſuq́, iocoq́.*
*Conditus at denſis fuerit ſi nubibus aer,*
*In medioq́ die Lux cedere iuſsa tenebris,*
*Et ualidos montis de carcere ſoluerit Euros*
*Aeolus, unde urget plangentia littora fluctus;*
*Tunc undæ poteris uenienti obuertere proram,*
*Nunc hinc, nunc illinc; ſicut res iuſſerit, inde*
*Frangatur decimæ ut uiolentior impetus undæ.*
*Si fore diſcrimen rebus, Nautisq́, tibiq́,*
*Et uictam rabie uentorum aſpexeris ipſam*
*Artis opem, ceu cui comes eſt prudentia, cedes,*
*Curabisq́ retro uento dare uela ferenti.*
*At uos, o ſuperi tantum ſeruate uolentes*
*Pro ueſtra pietate Ducem, cui nulla tulerunt*
*Sæcula priſca parem uirtute, & moribus; ut iam*
*Exemplo celebres ualeat renouare Catones,*
*Antiquumq́ decus; minus ut iam poſsit haberi*
*Iuſtus Ariſtides, & ſi quem fama perenni*
*Hac tenus euexit cœli ad conuexa uolatu.*
*Tu uero dilecte Deis clariſsime Princeps*
*Munus obi, tanta quæſitum laude, tuisq́*
*Non æquum meritis; ſtudijsq́ ingentibus acri*
*Corripe frena manu, tibi tradita, mente gubernans*
*Peruigil impauida; duplicato ut ſtemmate, duplex*
*(Poſtulat ut ratio) conſurgat gloria, & ipſo*
*Te nobis donaſſe Deos de nomine diſcant.*

LAETARE, *exaudiſſe Deos tua uota, preceſq;,*
*Vrbs terræ imperio clara, potenſq; maris,*
*Nuper enim, ceu puppis eras uiduata magiſtro,*
*Quæ potis haud quaquam eſt, quas uelit, ire uias,*
V *erum hærere uado, aut ſcopulo pendere minaci*
*Vel Boreæ frangi flatibus acta, timet.*
E *n tibi ſyderea proſpexit ab æteris arce*
*Iuppiter; & curas iuſsit abire graues,*
R *ectoremq; dedit, cuius ſapientia pectus*
*Incolit, & probitas, & ſine fraude fides.*
C *uius & è labris florentia uerba feruntur*
*Et fluere hyblæo dulcia melle magis.*
H *oc duce tuta potes pelagi ſulcare profundum,*
*Diraq; nauifragi ſpernere damna freti,*
E *t quanquam obſtiterint turbantes æquora Venti,*
*Continget portus læta Carina ſuos.*
N *on ars, non deerit uigilantia pectoris usquam,*
*Nilq; ubi mens huius decipiatur, erit.*
A *uguror è uitæ meritis fore Græcia, qualem*
*Iactabunda licet, iure tuliſſe neget.*
A *udeat huic ſimilem nec ſe genuiſſe fateri,*
*Aemula coeleſtum credita Roma Ducem.*
V *iuat, & o Pylij ter Neſtoris impleat annos*
*Vt longum Adriacas ſeruet, & auctet opes.*

*Bembe coronatum cui ueſtit purpura crinem,*
*Phœbeaq; ſimul tempora fronde nitent;*
*Tota licet mentis nunc pandere uela, ſinusq;*
*Lætitiæq; agili currere puppe fretum.*
*I nſolita Adriaci ſaliunt dulcedine fluctus,*
*Vnda ſalis facta eſt dulcior amnis aqua*
*C uncta ſerenato rident fulgentia cœlo*
*Et nulla uideas aera nube tegi.*
*N ereides niueis findunt freta lata lacertis*
*Nec poſita prohibet ueſte natare pudor.*
*N eptuni, Phorciq; chorus geſtire uidetur,*
*Luſibus & uarijs, ire, redire uias.*
*H ac, illac Ciues adeunt delubra parantes*
*Soluere Fautori debita uota Deo.*
*N ec mirum; noua lux oculis efulxit, habentq;*
*Imperium exacta, qui regat arte Ducem.*
*S it qualis noſti; ſed ne quis neſciat, eſt Is,*
*Cui pudor eſt quenquam uelle putare parem.*
*S olus Is eſt de quo non audet fingere liuor*
*Quæ ſint fœda, probum dedeceantq; Virum.*
*N e ſurgant potis eſt pelagi prohibere procellas,*
*Ac terra pariter ne fera bella ſonent.*
*H oc Duce durabit placido pellacia ponto,*
*Vixq; erit inocuus qui colat arua calybs.*
*N on ullas dabitur poſt hac audire querelas,*
*Ceu cum falciferi regna fuere ſenis.*
*H uc etenim Erigone ſpreto properabit olympo*

*Perpetuos tantum hic ſigere læta lares.*
I *llius at fuerit cum nota modeſtia morum,*
*Omnibus ætherio uiuere more dabit.*
H *uius ad exemplum fraus eſt peritura dolusq́;,*
*Et qui ſponte uelit fallere nullus erit.*
A *lter, & alterius ſupplenda ad commoda curret,*
*Mutuus incendens pectora coget Amor.*
I *n ſumma nil triſte uides; hinc exulat omnis*
*Mœſtities, & ſunt omnia plena iocis.*
O *utinam aſpicias, agitet qui compita riſus,*
*Regia quoq; rates lætior unda uehat.*
N *on hæc threicio lux eſt ſignanda lapillo,*
*Sed quo geſta Ducum carmine Muſa notat;*
Q *uo canit iliacos in prœlia dura labores,*
*Pieridum cunctas qui tulit unus opes.*
Q *uoq; phryges profugos Lauina ad littora ducit,*
*Qui cantu Ocnæus ſydera mulcet olor,*
Q *uoq; etiam tu læta facis præſentia ſæcla*
*Cum libet aonijs condere uerba modis.*
S *æpe tuo ſteterunt audito carmine, uenti*
*Et poſita Adriaci eſt ira, furorq́; ſinus.*
S *ed ſi religionis habet te cura, timesq́;*
*Forte ea ne ualido uulnere uicta cadat*
S *æuit enim, uultuq́; ferox Germania cædem*
*Geſtat, & horrificas euomit ore minas;*
P *orrige numinibus ſaltem pia uota, precesq́;:*
*Lætius audire hos, qui meruere ſolent.*
V *t datus hic Princeps, ſeros ſeruetur in annos,*
*Vllius & nunquam hunc terreat umbra mali;*
A *d quæ ubi Naturam ueniens ſuperauerit æuum*

*Talem Vrbs cauta Ducem rite regenda legat*
*Talis enim patriæ quisquis moderetur habenas*
*Non erit, unde queat noſtra perire ſalus.*

*QVIS tibi ſumme Deum mundi moderator, & auctor*
*Tot meritis digne perſoluat pectore grates,*
*Deficiunt ubi uerba; quibus ſi debita quiſquam*
*Reddere conetur, uentos, & inania captet?*
*Te dudum curante caput Reſpublica cœlo*
*Erectum inſeruit; uirtutumq; æmula Romæ*
*Heroum benefacta animis reuireſcere iuſſit,*
*Adriacumq; ſinum dextra florere triumphis,*
*Et latiæ noſtris ceſſerunt fluctibus undæ:*
*Interea nunquam leges oblita pudoris.*
*Quis niſi tu ſæuos totiens ſedare tumultus*
*Et coniuratas potuit Regumq;, Ducumq;*
*Deterrere manus in nos, in noſtra, nefandi*
*Inuidia belli cauſam præbente, ruentes?*
*Nec mirum inuiſit tua ſi nos gratia, alitq;*
*Erigone melius nuſquam ſua iura tuetur;*
*Libera in his terris regno ſibi uiſa potiri:*
*Et ſeruire alibi; Pietas hic ueſtra perenni*
*Incolitur ſtudio, & cœli exercentur honores,*
*Templaq; perpetuo reſonant radiantia cultu.*
*Nunc uero nobis te concedente uidemus*
*Rectorem, patremq; datum; qui tramite recto*
*Incedat, ſemel acceptas rationis habenas.*

*Sic moderans, ſenſus ne quando uiribus auctis,*
*Vt ſueuit, uiolenter agens, inſurgat, & inde*
*Partem animæ imperio natam ſubigatq́;, prematq́;,*
*Non ſecus, ac ſi, quæ nautas tractare decebat*
*Munera, cogatur puppis præſtare Magiſter.*
*Extincto nos poſſe docet hic uiuere ſenſu;*
*Nam lex eſſe poteſt quidquid dicit'ue, facit'ue;*
*Ambitio quem nulla mouet: quem flectere nullæ*
*Diuitiæ ualeant; non quæ ditiſsima, priſcis*
*Ignotum per iter, nunc India mittit Hibero.*
*Pergama ſi talem Priamum ſortita fuiſſent,*
*Non ea diuerſis uidiſſet Græcia fatis*
*Ignibus abſumi, Phrygio fœdata cruore.*
*Si Danaum proceres audiſſent Neſtora uerbis*
*Talibus orantem, in patriam ſine cæde rediſſent*
*Mille rates, Martisq́; furor ceßiſſet in auras.*
*Huic mores natura dedit, quos carpere liuor*
*Non auſit, uel fruſtra auſit, facilesq́;, grauesq́;*
*Præſertim unde oritur reuerentia regis, amorq́;.*
*Hæc animi ſunt ſigna tui manifeſta, uolentis*
*Rem Venetam ſolito ſeruatam augere fauore;*
*Cuius honoratum uigeat per ſæcula nomen,*
*Et famam ætherijs, æquatam terminet aſtris.*
*At, nimium duri ſi me non duxeris oris;*
*Conceßis unum adde Pater, non corporis ullus*
*Attenuet uires languor, non cura, dolor'ue*
*Mentem agitet; ſomnosq́; admittat nocte ſalubres;*
*Viuat ut incolumis, multos, & duret in annos,*
*Et regat, & doceat quæ tuta eſt forma regendi*
*Imperium, illæſumq́; æuo aßignare ſequenti.*

V t, tua quod uirtus cenſetur poſcere, nullum
Imperium in toto cernimus orbe dari,
S ic nulla, unde tuæ ualeant ſplendeſcere laudes,
In toto eſt quæ nunc Muſa Helicone canat.
N on ergo hæc de te cecini, ut ceciniſſe uiderer
Ampla ſatis meritò nomine digna tuo.
S ed ſi noſtra parum quis idonea duxerit, ille ut
Suppleat, atq; canat quæ mea Muſa nequit.

F I N I S.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA
ROMA

4

# CHRISTANI LVCARDII VICENTINI CARMINA.

BIBLIOTECA

Permiſſu Superiorum.

*VICENTIÆ,*

*Ex Typographia Hęredum Dominici Amadei.*

MDCXXVII.

P.a

# AD COMITEM
## ÆNEAM CLERICATVM
## I. V. D.

*Chriſtanus Lucardius.*

TE noſtrum, CLERICATE, decus, pia Muſa patronum
Poſcit, &, vt faueas, pagina ſacra rogat.
Perlege, non ægrę inuenias hic ſomnia mentis,
Non Paphon, atque Gnydon, nomina vana leges.
Vranie hic MARIA eſt: dedit hæc in carmine vires,
Adfuit æthereo Diua vocata Polo.

VIRGINIS ergo alacer tutare, ò Maxime, Vatem,
Vindice te, metuat lędere dente Theon.
Hoc pietatis opus. Iactet ſe Troius Heros,
Auſoniosque inter tollat ad aſtra caput:
Fictos ille Deos Latio, tu pignora Cœli
Tuta dabis, Diuum carmina grata choris.
Sit pius Æneas; certè MORTALIA non ſunt
Munera diuinis æquiparanda bonis,

# AD DEIPARAM VIRGINEM MONTIS BERICÆ.

*O Quæ micanti ſidere clarior*
*Internitesſcis, BERICA, terminos,*
*Lympha perenni quos virentes*
*Bacchilio, Erethenusque lambunt.*
*Rupes, Olympi delicijs pares,*
*Colleſque aprici, Virginis hortuli,*
*Cælo relicto, quos frequentant*
*Angelicæ in numerum catervæ.*
*Sanctos, potentes, vos populi piæ*
*Voces ſalutant, verticibus ſacris*
*Intaminati ex quo pudoris*
*Virgineus Thalamus refulſit.*

 Vos

*Vos cum liguſtris, cum violis, pede*
*Nudo puellæ, cum pueris ſenes*
*Pæana lętum concinentes*
*Sæpe premunt, genibusq́ue adorant.*
*Hinc nanque, toto Cælicolum choro*
*Plaudente, pleno diuitias ſinu*
*Regina fundit, cuius alma*
*Frons nitidis redimitur aſtris.*
*Hæc Ciuitatem tabida quam lues*
*Fædarat, hauſtis ciuibus, vltima*
*A' clade ſeruatam, nitori*
*Reſtituit, veterique formæ.*
*Hæc vota amicis auribus excipit,*
*Caſtè precantes auxilio iuuat,*
*Arcet periclis, & iacentes*
*Diua leuat, recreatq́ue dextra.*
*Iure ergo Templum, marmore pręnitet,*
*Latè coruſcis veſtibus & micant,*
*Votiuo & auro tecta, & arę*
*Gemmiferis radiant lapillis.*
*O ſi tenaci compede, qua ligant*
*Me curæ inanes, ſoluar, & in iugis*
*Siſtar beatis, inque opaco*
*Mi liceat recubare dorſo:*
*Quæ digna Cælo carmina, quæ canam?*
*Caſtis ſacellis munera quę feram?*
*Quę ſerta nectam? quas corollas*
*Parietibus, foribusq́ue figam?*

*Sed*

*Sed quis repentè ò mentem agitat calor?*
*Quod numen æſtro corda ferit nouo?*
*En, qualis alta regnat Aula,*
*Ætherij Genitrix Tonantis.*
*Partu verendo, Maxima Virginum;*
*Sperata Terris gaudia quę Deum*
*Lęta edidiſti, ſalue, & adſis*
*Diua tuis precibus Clientis.*
*Terrent prioris temporis heu graues*
*Lapſus, profanos cùm cecini Deos,*
*Nymphasque demens, & loquaces*
*Percolui fidibus Camœnas.*
*Heu ſtulta Vatum Numina, deuium*
*Quò me tuliſtis? quò melior mei*
*Pars fugit? ò quis me imminenti*
*Tiſiphones rapiat flagello?*
*Tu, cui profundi Regia Tartari*
*Paret iubenti, quam tacitę ſtygis*
*Horret Tyrannus, quam cruenti*
*Eumenidum metuunt Colubri;*
*Orci pauentem ſubtrahe faucibus,*
*Inſtabit atro bellua centiceps*
*Cùm dente, dirumque omne in auũm*
*Supplicium minitans tonabit.*

## Ad Montem Summanum DEIPARÆ VIRGINI dicatum.

*SVMMANE, inferni quondã Domus atra Tyranni,*
*Virginis auguſtæ ſedes nunc æmula Cœlo:*
*Clarior & Pindo fulges, & maior Olympo,*
*Ex quo te Stygijs ereptum Manibus Heros*
*PROSDOCIMVS Mariæ aſſeruit, propriumq; dicauit:*
*O mihi ſi liceat ſacros penetrare receſſus,*
*Semper vbi Angelicis concentibus antra reſultant,*
*Te quibus attollam numeris? quo carmine donem?*
*Tunc auſim Latios inter me tollere Olores*
*Præpetibus pennis, liquidumque per aera vectus,*
*Per populos, Vrbesque tuum diffundere nomen.*
*Te ne ego tranſiliam tacitus? Tua terque, quaterque*
*Reptaui iuga celſa puer, facilisque, volensque*
*Oſcula libaui ſaxis: tum vertice ſummo*
*Succiduis genibus ſupplex, manibusque ſupinis,*
*Concepique preces, Diuamque in vota vocaui.*
*Da pia, da Mater, tranquillę tempora vitæ,*
*Et ſapere, & fari, & nulla palleſcere culpa:*
*Audijt illa animo non aſpernata precantem.*
*Hinc lęti fulſere dies, nullique ſenectam*
*Turparunt morbi, aut ſanam mala gaudia mentem.*

*Hæc*

*Hac Duce ſublimes animus ſurrexit in auſus;*
*Cùm BERICOS cecini votiuo carmine Colles.*
*Iure ergo has grates, atque hæc præconia laudum,*
*Mons ſacer, hunc humiles templis ſacramus honorem:*
*At tu, cui celeres famulantur in æthere Mentes,*
*Quæ aligerum ſtipata choris ſpatiaris Olympo,*
*Deliciæ Diuum, magni Regina Tonantis,*
*Adſpice, & extremis faueas, caſtiſſima, rebus.*
*Iam vocor ad Tumulum, ad cineres, cinis ipſe futurus:*
*Iam premet hos oculos cęcis Nox longa tenebris:*
*Alma Parens, viden vt ſæuos mihi Cerberus angues,*
*Sibila colla tumens, tetro minitetur ab Antro?*
*Hunc tu adamantęis vinctum compeſce catenis,*
*Meque volens, Virgo, ſtellanti contege PEPLO.*

---

## AD DEIPARAM VIRGINEM Leonicenam.

*TEr tibi Diua, preces, ſacris, ter debita Templis*
*Dona fero, ſupplexque tuum ter Numen adoro.*
*Si memor audiſti dias reſonantia laudes*
*Carmina, quæ Bericis fixi mea vota Columnis:*
*Si mox dignata es, ſummo quæ vertice ſeruat*
*Nomina SVMMANVS, noſtris celebrata Camœnis:*
*Tertia, quæ pietas ponit, cape munera, Mater,*
*Quæ LEONICENIS placeant, memorentur, amentur.*

Nam

*Nam quæ alia huic Populo fuerit nunc gratior vlla;*
*Quàm ſibi quæ MARIÆ præſcripſit pagina nomen?*
*Hanc pueri, innuptęque canent ſine labe puellę,*
*Hanc recinent Iuuenes, manibusque, ſinuque fouebunt.*
*Inde alij referent pictę miracula Formæ,*
*Sacrilegamque manum, lędentem vulnere quondam*
*Læuum oculum DIVÆ, ſparſoque cruore madentem*
*Effigiem ſacram, lachrymis, atque ora rigabunt.*
*Fas fuit, Alma Parens, ſcelerati membra Latronis*
*Perdere, & æternis Erebi damnare tenebris.*
*Plectere ſed neſcis, veniam pacemque nocenti*
*Vltrò offers, Natumque rogas, ne ſęuiat vltor.*
*O pietas iure ante omnes memoranda triumphos.*
*Hinc tibi conſpicuum, Virgo Auguſtiſſima, Templum*
*Mille virum ſtruxere manus, quò ſępe, relictis*
*Ædibus, indigenę adproperant, cupiuntque morari,*
*Virgineamque Domum, & caſtos habitare Penates.*
*Vndique concurrunt, & quos malè torquet Erinnys,*
*Quique oculis capti, clauſis quique auribus orti,*
*Ignea queis feſſos febris depaſcitur artus,*
*Atque alij innumeri; optatam quibus omnibus affers;*
*Omnibus impertis mira pietate ſalutem.*
*Ergo alacres tenduntque pias ad ſidera palmas,*
*Et grates referunt, cumulantque altaria donis.*
*Aſt ego ſemotus ſpatio, ac regione viarum,*
*Cui genua ægra labant, frigentque in corpore vires,*
*Te numeris, Regina, meis, precibusque, ſaluto:*
*Te Matrem, Dominamque voco: Tu, Diua, precantem*
*Exaudi, & caſus releua mitiſſima noſtros.*

*Hoſti-*

*Hoſtiles animos, inſanum auerte furorem,*
*Temporaque occiduæ facilis da ferre ſenectæ,*
*Vt tua perpetuo attollam miracula cantu.*

## Ad Deiparam VIRGINEM ROSARII.

*ACcipe, diuitibus quæ Rhenus miſit ab oris,*
*Lilia, purpureas & ſine labe roſas.*
*Floribus his Cælum cæleſtem præbuit Ortum:*
*Cinge volens nitidum Virgo verenda caput.*

## Alijs Verbis.

*NOn hæc Idalijs naſcuntur lilia campis,*
*Non tulit has Amathus, non Paphos alta roſas.*
*Elyſium hos genuit flores, hos ſparſit Olympus*
*Nectare, & æternum iuſſit habere diem.*

# AD VLPIANVM A VVLPE

## Medicum, & Philoſophum.

*Chriſtanus Lucardius.*

INclyta progenies, PAVLI generoſa propago,
Munere amicitiæ forti qui pectore fungens,
Tela retorſiſti, dirum minitantia vulnus,
Quas tibi perſoluam grates, quę digna rependam
Pręmia promeritis? referam quos gratus honores?
Non mihi Phœbęas & Smyrna, & Mantua lauros
Si nectant, moueantque nouem noua plectra Sorores,
Egregij poſſim facti pertexere laudes.

Iam cedat Liuor, cedat gens aſpera Muſis:
Tu nos hoſtili ab rabie, morſuque maligno
Protegis, ac patria tectos virtute tueris.
Theſea Pirithous vix talem ſenſit amicum,
Vix fuit Hęmonius iuuenis tam fidus Oreſti.
Hæc mihi ſemper erunt imis infixa medullis,
Vlla nec officij capient obliuia mentem.
Quòd ſi quid poterunt venturis carmina ſeclis,
Te pia poſteritas, animum mirata, fidemque,
Inſeret antiquis æui melioris amicis.
Tu modò perge Decus ſcriptorum grande meorum,
Perge volens, memoremq; memor defende Camœnam,
Quæ tibi ſe addicit, quæ tanto ſpondet Alumno,
Perdomita inuidia, æternę ſibi tempora famæ.

AD

# AD ALEXANDRVM BRASCVM I. V. D.

*TE ſine non auſim tenues vulgare Camœnas,*
*Nominis ò fautor, candide BRASCE, mei.*
*Scriniolo potius lateant, cęciſque tenebris,*
*Quàm videant clarum, te renuente, diem.*
*Quę tu Caſtalio perfuſus rore probaris,*
*Tercentum vincent carmina Olympiadas.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

## Ad Stephanum Triuiſanum Vicentiæ Prætorem.

*NVnc mi canoram Calliope lyram,*
*Princeps Sororum Calliope, & Decus,*
*Per plectra, blandum docta carmen.*
*Threijcijs reſonare neruis.*
*En mens recenti lætitia expetit*
*Terris relictis, per liquidas plagas*
*Ferri, ſonantes quà iugales,*
*Phœbus agit, volucremque currum.*

*Non me minacis brachia Scorpij,*
*Cancerue aduſtus terreat, aut Leo:*
*Heroa ſtellis, & quieto*
*Concilio Superum locabo.*
*Partum beatis cùm edidit aureum*
*Lucina terris, diuitijs ferunt*
*Vndaſſe Pontum, quà refuſis*
*Adria præcipitat procellis.*
*Nato repente ex æquore Naiades*
*Duxere feſtas implicitis ſimul*
*Dextris choreas, & reflexus*
*In numerum petiere lętos.*
*Hic vix adultus moribus optimis*
*Formare pectus, diſcere Principem*
*Quæ diſciplinę, Ciuitates*
*Quis ſtatus egregias deceret.*
*Firmata poſtquam conſilio grauis*
*Acceſſit ętas, Iuſtitia, & Fides*
*Hæſere cordi, Virginiſque*
*Prçcipuè pia cura ſacræ.*
*Huic ille Narciſſum, & teneros Crocos,*
*Calthęque florem, & mollis Amaraci*
*Suetus reuiſens ferre, & aras*
*Illius accumulare donis.*
*Nunquam hic ſuperbum tollere verticem*
*Auditus altum, quamquam Atauis genus,*
*Manſura in æuum atque Vrbs perennę*
*Dent animos, facileſque vires;*

*Non hunc ſecundis ſuſtulit Antij*
*Regina rebus, largiflua manu*
*Cornu refundens, non minaci*
*Terruit impauidum flagello.*
*Non dira grando hunc propoſito queat*
*Recto mouere, aut ſpiritus impotens*
*Surgentis Euri, non coruſci*
*Cœlipotens iaculator ignis.*
*Annoſa qualis rupibus arduis*
*Quercus, ſonoro turbine quam vndique*
*Fruſtrà ſtrepentes hinc proteruus*
*Africus, hinc Aquilo fatigant.*
*Ergo Italorum grande Decus ſoli*
*VICENTIA vlnis hunc cupidis ſouet:*
*Ergo & parentem quiſque, & Vrbis*
*Præſidium, & Columen fatemur.*
*Hinc fama terris viuit in vltimis,*
*Quà tollit Eoo Occeano caput*
*Titan, rubentes & Quadrigas*
*Quà lauat Heſperijs in vndis.*
*Sed perge blandi ò pectinis arbitra,*
*Dum curæ, & aſper Tartara habet metus,*
*Terretque Ditis corda, & atros*
*Eumenidum exagitat Colubros.*
*Dicamus altam progeniem, inclytam,*
*Veſtris amicam fontibus, & choris,*
*Quam gaudet immani Barathro*
*Viuida ſurripuiſſe Virtus.*

*Hic nos, nitebit cùm rutilo caput*
*Olim Galero, cùm omnia plauſibus*
*Latè ſonabunt, pacis almæ*
*Munere perpetuo bearit.*

## Ad Ludouicum Ronconium Præceptorem, omni liberali doctrina politiſſimum.

*AVdijt Erethenus cùm te LVDOVICE, canentem*
*Clara Triuiſani ſtemmata, lætus ait:*
*Nunc eat, & celebri iactet ſe Mincius vnda,*
*Dum meus ambroſio gutture cantet olor.*

## Ludouici Ronc. Reſp.

*SI canos ſpectas circum mea tempora, Cicnus;*
*Si vocem attendis, rauca videbor auis.*
*Si color hoc, CHRISTANE, facit, clariſſimus olim*
*Virgilio cedat Mincius Eretheno.*

## In obitu Bernardini Luſci.

*QVem blandæ Charites, quem dulces ſæpe Camœnæ*
*Ambroſiô Puerum detinuere ſinu;*
*Incinctus Lauro hic vernantis flore iuuentæ*
*Fœlix virgineos emicat antè choros.*

*Non hunc fas lachrymis vrgere, aut quærere Terris,*
*Æthere qui medio iam noua Stella nitet.*
*Stella nitet Cœlo, nec parua ſufficit Vrna,*
*NON eſt Terra ſatis, cui Polus eſt Tumulus.*

## Filius Patrem alloquitur.

*NOn hic querelis mollibus eſt locus:*
*Fletus inanes comprime iam Pater,*
*Et mitte ſingultus: quid vſque*
*Te miſero gemitu fatigas?*
*Lætante Cœlo, en debita percipit*
*Vitæ innocentis præmia Filius:*
*Præcinctus aſtris nunc beatum*
*Purpureo bibit ore Nectar.*
*Abſterge vultus; ecquis erit modus?*
*Ne crede ademptum, quem pater ingemis:*
*Fœlix quieſcit, iam furentum*
*Deſpiciens hominum tumultus.*
*Sic præliantes Carpathio mari*
*Eurum, Notumque, & præcipitem Africum*
*Miratus, inſanis procellis*
*Nauita ſe eripuiſſe gaudet.*
*Hic non honorum lætitia inſolens*
*Se tollit: acer non animum metus*
*Perturbat; aut quiſquam doloris*
*Deijcitur furibundo ab æſtu.*

*Longè his Cupido finibus exulat,*
*Atque ira feruens ſollicitans iecur;*
*Hinc febris, & quidquid malorum*
*Tartareas agitat tenebras.*
*Hic fas, piumque, & Sancta Fides iuuat;*
*Nullus quietis aut labor, aut dolus;*
*Pax alma regnat, pax triumphat*
*Omnigeno ſpecioſa cornu.*
*Magni hic Tonantis ſunt penetralia,*
*Auro, lapillis, & radiantibus*
*Ornata gemmis, concinentes*
*Quà Angelicæ volitant cateruæ.*
*Ergo, has (potenti ſic placitum Arbitro*
*Rerum) tenentem diuitias Pater,*
*Has incolentem ſponte ſedes,*
*Parce pio reuocare luctu.*
*Virtute dignos indue ſpiritus,*
*Clarumque LVSCORVM adſpice quid genus*
*Poſcat, quid iſta ætas: benignis*
*Cede volens generoſe Diuis.*

## In obitu Comitis Angeli Porto, & Dorotheę eius vxoris.

*ANGELVS ætherei rediens ad luminis oras*
*His Thalami Sociam vocibus ante vocat,*
*Chara veni, Dorothea veni, ne falle vocantem,*
*Vt, quos iunxit amor, iungat & Vrna duos.*

*Cui Coniux; venio en tibi debita; nec moror vnà,*
*Qui cum dulce fuit viuere, læta mori.*
*Dixit, & vnanimem comitatur fida maritum,*
*Quà plaga cæruleum lactea pandit iter.*
*Viuite fęlices, quibus vnum velle duobus,*
*Vnum nolle dedit pacis amicus Amor.*

## In obitu Comitis Aloyſij Porto Cataphractorum Ducis.

*Occidis (heu) generoſe Heros, quem ſternere ferrō*
*Non miles potuit, non potuere Duces.*
*Occidis exciſus morbo: RES Portia tecum*
*Exciſa eſt, Trunco quæ ſtetit alta tuo.*

## Ad Comitem Paulum Porto Equitem.

*INdue, PAVLE, decus, Regis monumenta potentis,*
*Conueniunt humeris regia dona tuis.*
*Scilicet effulgens, tantoque inſignis honore,*
*Clarus Eques renouas ſtemmata clara Patrum.*

## In obitu Comitis Iacobi Valmarana Equitis.

*DIcite fælices animæ, queis celſa Tonantis*
*Regia, queis Cœli tecta minora patent:*
*Quis nouus Ætherias hoſpes conceſſit ad oras,*
*Ad uentuque tulit gaudia tanta ſuo?*

*VALMARANA, choris iam pridem debita noſtris*
*Lætitia, & generis ſpes, columenque ſui.*
*Purior haud quiſquam, aut pietate inſignior alter*
*Auxit ſiderei ſidera magna Poli.*
*Clarus Eques fuerat, Regi dilectus Ibero,*
*At Regum Regi nunc magè charus adeſt.*

## Ad Comitem Iulium Cęſarem Valmarana, Equitem.

*TVrpe eſt, ex alijs medicinam quærere luctus;*
*Dat ſibi nam ſapiens vulneris auxilium.*
*Iulius en Cæſar ſe ſe, Natumque iacentem*
*Conſilio, atque alto ſuſcitat eloquio.*
*Quiſquis es, aureolum, Lector, perdiſce libellum,*
*Fortunæ diſces ferre ſupercilium.*

## Ad eundem.

*IMperia, & magnos potuit memorare triumphos*
*Cęſar, at in Patriam tela cruenta tulit:*
*Tu monumenta feri, Cęſar generoſe, duelli*
*Euoluens, pacis fœdera ſancta doces.*
*Quò melior bello pax, hoc tua gloria maior:*
*Bella nocent: pacis munera læta iuuant.*
*Seruati Ciues, bello ſub Tartara miſſo,*
*Conſtituent meritis clara trophæa tuis.*

Ad Bar-

## Ad Bartholomęum Burchelatum Philoſophum, & Medicum Taruiſinum.

*CArmina ſi incluſum poſſent haurire dolorem,*
*Si charas lacrymæ reddere delicias;*
*Burchelate, tuas canerem, miſerande, ruinas,*
*Deflerem Nati funera acerba tui.*
*Sed non Aoniæ proſunt, pia turba, Sorores,*
*Nec decet indignis ora rigare modis.*
*Ex te igitur ſumas duri ſolatia caſus,*
*Ipſe tibi tanti ſis medicina mali.*

## Ad amicum, qui Logicę, ac Philoſophiæ librum ediderat.

*QVisquis in vtramuis validè contendere partem,*
*Et Logicæ laqueos ſoluere ritè cupit:*
*Quiſquis amat Sophiæ obſcuros cognoſcere ſenſus,*
*Et cupida ætherios ſcandere mente Polos;*
*Hunc legat, ambroſio ſudantem nectare librum,*
*Hinc Logicus fiet, maximus atque Sophus.*

## Ad Vincentium Grimanum Vicentiæ Prætorem.

*BElla alij, molliſque canant Trieterica Bacchi*
*Orgia, VINCENTI, te pia Muſa decet.*

*Vincis enim pietate Numam, non ficta colenda*
*Numina, ſed veri myſtica ſacra Dei.*
*Ægeriam ille adijt populo mirante Quirini.*
*Virgineæ ſcandis tu iuga celſa Domus.*
*Virginis ergò cliens faueas, GRIMANE, precanti;*
*Audiat vt cantus Diua benigna meos.*

## Ad Diodorum Cattum, Philoſophum, ac Medicum.

*SI ſcire, & facere efficiunt nos eſſe beatos;*
*Grande decus Sophiæ, non te eſt fælicior alter;*
*Qui facienda facis, quæ ſunt fugienda, repellis.*
*Viuis enim, tanquam moriturus; nec metus vrget*
*Te Mortis: MORITVR quiſquis, virtute relicta,*
*Pectus habet vitijs ſeruum, mentemque malignam.*
*Hi furias horrent, tenebroſa hos Tartara terrent,*
*Qui deſiderijs faciunt ſatis, atque perennis*
*Tempora promittunt vitæ ſibi: pondera Terræ,*
*Obſcuræ Mundi maculæ, Plutonis auari*
*Pabula. Sed redeo, vnde abij. Pius, officioſus*
*Cùm viuas, contentus eo, virtute paraſti*
*Quod tibi; Fortunæ, ac Vulgi contemptor inanis;*
*Magnarum rerum prudens, ſectator honeſti;*
*Quis dubitet, quin ſis ex omni parte beatus?*
*Quis nunc miretur, te ferri protinus vltra*
*Naturas humiles, ſublimi pectore Cælum*
*Concipere, ætheriasque plagas percurrere ouantem?*

Inde

*Inde illi Ambroſiæ ſucci, queis ſubtrahis Orco*
*Iam conclamatas animas, iterumque potiri*
*Das luce optata, ſuperis & veſcier auris.*
*Iure ergo tantis fulgentem inſignibus omnes*
*Te, Diodore, colunt, meritis & laudibus ornant.*
*Aſt ego non vno deuinctus nomine, quid iam,*
*Quid memor officijs dignum, gratuſque rependam?*
*Quamquam quid dubitem, Phœbum, Muſaſque colenti*
*Mittere Muſarum fœtus? Ergo accipe, dulces*
*Quæ mihi dictarunt, calamo famulante, Camœnę,*
*Obſequij veteris monumentum, & pignus amoris.*

## In die Luſtrico Vincentiæ Catharinæ Priolæ Ciuitatis nomine.

*O' Quam te memorent, Priolę clariſſima Gentis*
*Progenies, ſacro geſtant dum fonte lauandam*
*Magnanimi Ciues? Hominem vultuſque, iubarque*
*Eſſe negant: Aſt eſſe Deam te, faſque, piumque*
*Intemeranda vetant. Quid te VINCENTIA dicet?*
*Vnam inter Latias Heroidas Heroinam,*
*Quæ veteres Latias, Graiaſque Heroidas ornes.*
*Si felix, noſtrique memor (quęcumque) Puella:*
*O Decus, ò VENETVM nuper LVX addita Cælo.*

Ad Dio-

## Ad Dionyſium Vincentium Delphinum Infantem Vaticinium.

*TE Decus eximium Delphinæ Gentis, Auorum*
*Sanguine ab antiquo longus cui texitur ordo,*
*Dum meditor, video, clarorum facta Parentum*
*Egreſſurum olim. Cerno, iam cerno; ſuperbum*
*Tot populis, terriſque metu trepidare Tyrannum;*
*Regnatorem Aſiæ pacemque expoſcere, & vltrò*
*In leges iurare tuas, poſitiſque pharetris,*
*Æquoris Adriaci DOMINÆ parere potenti.*
*Tum Rhenus, Rhodanuſque celer, tum diſcet Iberus,*
*Libera quid virtus, Delphinaque dextera poſſint.*
*Cætera ſi fuerint, veſtra ſub Gente reſident*
*Bella, nec audebit quiſquam temerare Triumphos:*
*Tantus eris, tantaſque feres in prælia vires.*
*Ergo ades, & noſtrum interea ne deſpice votum*
*Blande Puer, magnum Patris, & Patriæ incrementum.*
*At vos (quod facitis) concordes ducite Parcæ,*
*Ducite felici candentia Stamina NATO.*
*Nunc implete colum, grauidos nec ſiſtite fuſos.*
*Hoc opus, hos vltrò laudarit Iuppiter orſus:*
*Annuite, ò Diuæ; certè annuit Augur Apollo.*

# AD ALEXANDRVM MARASSOTTVM

## Medicum, & Philoſophum.

*Chriſtanus Lucardius.*

DVm vigili, at placida ſapiens cum mente volutas,
Optime Alexander, nil tandem proſore vitam,
Hæc niſi ad exemplar ducatur tota perennis
Vitæ, quam niuei peragunt ſuper æthera Manes:
Iure tuos ſenſus efformas, vt nihil vltra,
Nil citra recti fines ſpatientur; id vnum
Spectans, quod deceat diç virtutis Alumnum.

Hinc iuuat in Sophiæ ſacris palleſcere chartis,
Et iuuat abſtruſas rerum cognoſcere cauſas:
Cur, quantum à radijs fraternis Luna recedit,
Hoc magis igneſcant vultus: Phaetontide luce
Fulgeat, an proprios terris diffundat honores.
Quid maculis obducta genas nigreſcat, & ora;
Interdum niteat flammis, atque igne coruſcet.
Cur medium Cœli ſpatium Sol ipſe quadrigis,
Ambiat auratis, medias atque ætheris oras.
Cur Pater omnipotens, Mundi inuiolabilis auctor,
Hunc olim luci præfecerit, atque moueri
Illius ad numeros immenſum iuſſerit orbem.
Cur ita ſcintillent ſtellæ, quis prouidus ignem
Gentibus intulerit, diuini muneris vſum.
Denique quis fluuijs ortus, cur æquora tantis
Fluctibus inſurgant, pelagi poſt concidat omnis
Ille fragor, placida & ponto mox vnda recumbat.
His ſtudijs animum paſcis, dubiumque relinquis,
Doctior, an melior diſcedas. Emicat ardor
Nobilis ingenij: Doctrinæ læta per Vrbes,
Per populos volitat meritorum fama tuorum.
Sed pudor, & pietas, mores, probitasque, fidesque
Doctrinam illuſtrant, purum velut aſtra Tonantem.
Ergo nec ambitio, ſtolidi nec opinio vulgi,
Non ventoſa trahit te vinctum gloria curru.
Non turpis lucri, cędis non dira Cupido
Exagitat pectus, tacitus non concoquis iras.
Virtus ſola placet, quæ cunctis vnica rebus

Anteit,

Anteit, immeritisque mori Cœli alta recludit
Atria: digna tui merces, pretiumque laboris.
His ego deuinctus cauſis te, Maxime Alumne,
Te decus inſigne, ò Graiæ, Latiæque Camœnę,
Verſibus eſſe meis optaui iure Patronum.
Tu inuidiæ morſus acres depelle rogatus,
Dum mea Muſa panat plenos tibi texere honores;
Et ſtudet æthernis famam producere ſeclis.

# AD FABIVM PACIVM,

## Medicum, & Philoſophum.

*Paucis dat cinis, vt virum per ora*
*Defuncti volitent: tibi at perenne*
*Iſtud vita, FABI, dabit peracta,*
*Edes ſi populo tuos libellos,*
*Poſcenti toties, & exigenti.*
*Illos ne, precor, audias miſellos,*
*Qui cum nil animo queant parare*
*Dignum laude; tamen ſolent ineptè*
*Ipſi dicere: GLORIAM ſuprema*
*Poſt fata, & cineres venire aduſtos,*
*Hoc dicunt ceciniſſe Martialem,*
*Viuis cùm queritur ſuis negatam*
*Famam temporibus, nouisq́ue ſemper*
*Prælatas veteres fuiſſe chartas.*
*Viuus ille tamen ſuos libellos*
*Edidit, famulantibus Camœnis.*
*Quare notior Orbe Martiale*
*Toto nullus erat, viriq́ue tota*

*Et ſales*

*Et ſales lepidos, facetiaſque*
*Legebant iuuenes, ſeneſque Romæ.*
*Phœbo ſic quoque tu auſpice, & Minerua,*
*PACI, profer opus, ſacras profundæ*
*Mentis diuitias. Tibi perennis*
*Fama quæritur. An bonis locatum*
*Tempus in ſtudijs ſines perire?*
*Vrbem, teque ſimul, ſimulque noſtrum*
*Seclum orna nitidis tuis libellis.*

## Ad Eundem.

*TEcum ſuauiter, atque delicatè*
*Iampridem cupio diem perennem,*
*PACI, viuere, ſi negociorum*
*Dura compede me queam explicare.*
*Verùm tu caue per tui Galeni,*
*Et per Hippocratis, Fabi, libellos,*
*Ne fortè aut veteris tui Falerni*
*Me deſiderio putes teneri,*
*Aut Galli magè, quem te habere dixti*
*Paratum lepidè, venuſtuleque.*
*Nam mi ſic Heliconiæ Puellæ,*
*Et Phœbus pater vſque vel trecenta*
*Pluſquam Pierio furore dictent*
*Epigrammata melle dulciora,*
*Semper munera Liberi ſeueri*
*Vt fugi, nimiumque ſumptuoſas*

*Cœnas. Me potius tui elegantes*
*Mores, literulæ, iocique dulces*
*Prorſus alliciunt ſuo lepore.*
*Ergo, dum veniam, rogo, tenellos*
*Muſæ verſiculos Horatianæ,*
*Seu magis placeat, Catullianos*
*Centum melliculos pares Iambos.*

# In Gallum ab eodem lepidè paratum.

*QVis non Ambroſiæ tuum ſaporem*
*Longè præferat, omnium ciborum*
*Iucundiſſime Galle? quis Deorum*
*Curet accubuiſſe, Galle, menſis?*
*Galle, nectare ſuauior, quis vnquam*
*Te tam condijt aptè, & eleganter?*
*Sic eſt: te pater omnium leporum,*
*Qui me participem tui libenter*
*Fecit, te FABIVS ſuis parauit*
*Conditum ſalibus, facetijsque.*
*Vos tollam Hendecaſyllabis, tuumque*
*Saporem meditabor vſque, & vſque,*
*Præſtantem Ambroſiæque, Nectarique.*

# Fabij Pacij Ode
## Ad Chriſtanum Lucardium.

*SVnt, qui nauifragum mare*
*Percurrunt, procul & viſere nobiles*
*Vrbes, regnaque diſſita*
*Gaudent; aſt alios æra minantia,*
*Clangorque horribilis tubæ,*
*Et bellorum acies ſanguineę iuuant.*
*Quà incerto ſubiens necem*
*Pro Rege haud dubiam Gallus Iberiam*
*Ardens, & Latium vocat*
*In partem imperij, cladis & vltimæ.*
*Aut quà Threijcium caput*
*Victrix Auſtriacum dextera conterit.*
*En ille irriguis fouet*
*Vndarum ſcatebris prata virentia;*
*Aut è luxuriantibus*
*Lętas arboribus falce ſecat comas.*
*Aut nunc à tenera pyro*
*Expectata diu poma legit manu*
*Quam ſeuit propria, & noua*
*Terræ munera Dijs primitias dicat.*
*Nos inter fera febrium*
*Monſtra, & tabificis hauſta doloribus*
*Membra, & quidquid Atrox vomit*
*Styx ore, Iapeti conficiens genus*

*Verſamur; reuocat ſatus*
*Quos Phœbo ſtudijs à patrijs procul.*
*At tu Theſpiadum choris*
*Addictus, facilem dum tibi temperas*
*Hinc plectro, hinc digitis, lyram,*
*Et dulci meditans voce modos facis;*
*Iam iam Pindaricum melos*
*Æquas, & Lyricis carminibus ſuam*
*Lucem reſtituis, diu*
*Lethæis tenebris antè reconditam.*
*Fœlix ò, Heliconios*
*Qui ſaltus peragras, atque Aganippidos*
*Fontis iam latices potes*
*Pleno haurire ſinu. Labitur aureus*
*Hinc latè liquor, & fluit*
*Diues vena tui fertilis ingeni.*
*Iam Peneia Cinthius*
*Gratus ſerta ſacris temporibus parat.*
*Heroum validas manus,*
*Et deiecta nigris fulmina nubibus,*
*Summus queis Genitor ſolet*
*Deterrere hominum corda nocentium,*
*Perge ò maxime dicere;*
*Hæc ſit digna tuę materies lyrę.*
*Aut ſi Pæonias libet*
*Artes carminibus tollere, Gellius*
*Implebit numeros, neque*
*Te res in medio deſtituet pede.*

*Tum*

*Tum te gloria præpeti*
*Curſu ſidereas ducet ad orbitas;*
*Dum Cyllenius artifex*
*Signato ære hominum, & facta Deum premet,*
*Euoluenda Nepotibus:*
*Almę dum Cereris munera Liberi*
*Spumans excipiet cruor:*
*Dum Sol ætherijs flectet equos plagis.*

## Chriſtani Lucardij Ad Fabium Pacium Reſp.

*POſcis, relictis, Docte Fabi, iocis,*
*Thorace Martem tectum adamantino,*
*Dira & cruenti facta Pœni*
*Treijcia vt referam Camœna.*
*Quis parua laxis vela rudentibus*
*Inſanienti tradere Boſphoro,*
*Certus pericli, & Maleæ*
*Audeat horriſonis procellis?*
*Quis Dædalei non memor Icari,*
*Pennis negatis, ſidereos velit*
*Tentare tractus, æſtuoſq;*
*Nomina Carpathio daturus?*
*Terret, Sorores quem Clymeneides,*
*Vultusq́ue cæſę, pectoraq́ue vnguibus;*
*Fleuere, puro dum bicornis*
*Luna quater latuit Tonanti.*

*Tu, ſauientes ponere qui potes*
*Fluctus, canoro pollice dum chelyn*
*Tractas eburnam, peruicaces,*
*Cùm libet, & remoraris Auſtros;*
*Committe Thyrreno impauidus mari*
*Nauim, profundi cui bene cognitus*
*Vſus, nec Eurum horres furentem,*
*Nec Boreæ rabiem proterui.*
*Plectro ſonanti tu referes Iouem,*
*Telo triſulco cùm genus impium*
*Titanas, immanemque Rhetum*
*Suſtulit, Enceladique molem.*
*Tu non pauentes funera concines*
*Gallos, Philippum ſeu cupiant magis*
*Rerum potiri, ſeu qui Iberas*
*Impiger vſque acies fatigat.*
*Æternitati te VENETVM decus*
*Nomenque neruis Pindaricis decet*
*Sacrare, victricemque dextram,*
*Qua indomiti cecidere Turcæ.*
*Quos tu volucres carmine Lesbio*
*Tolles, per altas ætheris hinc plagas*
*Læti euolabunt, quà coruſco*
*Concutitur Iouis Aula curru.*
*Nos nec minacem Palladis Ægida*
*Conabimur, nec dicere nobili*
*Iam iam irruentes barbarorum*
*Sanguineas Latio cateruas.*

Non

*Non fas iocoſo pectine Barbiton,*
*Pulſare, triſtis dum ſonitus tubæ*
*Perſtringit aures dum fugaces*
*Cornua equos, equitumque terrent.*
*Hic in remoto gramine, pendulos*
*Quà pinus ingens cum platano explicat*
*Ramos, Dionæo ſub antro*
*Nyctileum Bromium canemus.*
*Hæc inter adſit, vina benignius*
*Promens auitis Gellius amphoris;*
*Obliuioſo qui Falerno*
*Me egelidis beet vſque in vmbris.*

## Ad Hieronymum Ferramuſca I. V. D.

FERRAMVSCA, *tui Decus Clientis,*
*Nuper quem proprio tibi addidiſti*
*Deuinctum officio, nouaque prorſus*
*Iuuandi ratione, quas,* PATRONE,
*Quas agam tibi gratias, quibusque*
*Verbis? Non equidem queam referre;*
*Non ſi vel Pylij ſenis, ter æuo*
*Functi, ſæcula vincerem, vel annos*
*Eius, qui roſeis cubans in vlnis*
*Eoę placuit puer puellæ,*
*Quid ergo? immemor, ac volens ſilebo*
*Tanti pignus amoris? Haud paternum*

*Hoc darem. Genuere nam Parentes*
*Me talem, & puerum boni magiſtri*
*Formarunt docilem vſque præmonentes,*
*Acceptum officium vt memor tenerem,*
*Ferrem laudibus, atque prædicarem,*
*Ergo antè auricomus citis quadrigis*
*Sol per punicei vias Tonantis*
*Equos flectere deſinet; priuſque*
*Extinguet radijs diem nitentem,*
*Cæcas Gentibus inuehens tenebras,*
*Quàm te, Præſidium meę Camœnæ,*
*Indictum patiar meis libellis,*
*Tuum & promeritum ſinam latere,*
*Grato Pieridum ſonante Plectro.*

## Ad Laurentium Marcheſinum I. V. D.

*LIpſius in græcos quid ſcripſerit, atque latinos*
*Hiſtoricos, ſcire ardeo; nec tibi, candide amice,*
*Ignotum, Iuſti libros qui ſpontè benignus*
*Promiſti, vt poſſim dulces haurire liquores,*
*Atque animi ſedare ſitim noctesque, diesque;*
*Dum tu veſanas, iuris, legumque peritus*
*Aut lites reſecas, aut (quæ tua copia fandi)*
*Eloquio oblectas magnorum corda virorum.*
*Ergo illos mitte oratus; miſiſſe iuuabit,*
*Quidquid erit, nuſquam aut melius ſeruauerit alter,*
*Aut citius reddet poſcenti. Crede, tenellam*
*Non ita amet, ſi quis potiatur fortè, puellam.*

*Amplectar, manibusque tenens ſimul oſcula iungam:*
*Illis blanditias, illis mea ſeria dicam;*
*Roſida ſeu Cœlo gelidas Aurora tenebras*
*Impulerit, nitidum portans Terriſque, Deiſque*
*Purpureo ore diem, ſiue igneus impleat orbem*
*Sol radijs, ſummo, & currum librabit Olympo.*
*Quin etiam Heſperias ibit cùm pronus in vndas,*
*Cumque hominum curas componet ſomnus auaras,*
*Alloquar, & lecto ſocios, gremioque fouebo.*
*Mitte igitur clari vigilata volumina Lipſi,*
*Optime Laurenti, Muſarum certa propago.*
*Sic tibi Caſtalios referent, ſua munera, fontes,*
*Vnanimesque nouem ſublimia carmina dictent,*
*Queis Maro, & æternus primas concedat Homerus.*

## Laurentij Marcheſini Ad Chriſtanum Lucardium.

*Romæ Admiranda, & variè vt Gladiator arenam*
*Spargat, ſpectato: en Amphitheatra patent.*
*Veſtales ſpectato quoque: at ne tangito ſacras,*
*Si ſtimulant, fugito: Bibliotheca propè eſt.*

## Chriſtani Lucardij Reſp.

*Nec iuuat in bibula trux me Gladiator arena,*
*Nec mea Veſtalis pectora tangit amor.*
*Sint alijs miranda, dedit quæ maxima Roma:*
*Me tua, Laurenti, Muſa diſerta beat.*

## Ad M. Antonium Romitum. I. V. D.

O *Quę Caſtalium bibis,*
*Dulcem quæ ſtrepitum pectinis aurei*
*Sacræ Phocidos in iugis*
*Aptans, Melpomene, delicias patri*
*Phœbo carmina diuidis:*
*Mecum, perſpicuæ quà trepidant aquæ*
*Riuis deſilientibus,*
*Inuitantque leues murmure garrulo*
*Somnos, huc ades, & noua,*
*Nondum audita doce, quæ modò concinam;*
*Adſis tu quoque, Gloria*
*Vatum, Pierij dulce decus chori.*
*Non expromere vocibus*
*Auſim tanta meis, te ſine. Tu graui*
*Mentem faſce leua, integris*
*ROMITE, Aonidum cognite fontibus.*
*Nam ſeu te Vranie tulit,*
*Eduxit tenerum ſeu Polyhymnia,*
*Certè numine dextimo*
*Naſcenti tribuit ſe tibi præſidem*
*Pindi è vertice Delius.*
*Ergo te vigili carmine concinam,*
*Siue Eos roſeis diem*
*Fulgens portet equis; ſeu tenebras ferat*
*Dilectus Paphiæ Heſperus.*
*Te mitis pietas, nudaque veritas;*

*Tenu-*

*Te nutrix Superum fides,*
*Te morum probitas, te ſapientia,*
*Conſtans rebus in arduis,*
*Diuum & relligio ſubſequitur comes.*
*His virtutibus omnium*
*Mentes concilias: his ſtygis horridæ*
*Vitabis ſtrepitum: igneas*
*His arces feries vertice Cælitum.*
*Fœlix ter quater vnicum*
*Noſtrum præſidium. Tu Latię lepos*
*Linguæ, cui ſimul Attici*
*Rores eloquij pectore defluunt.*
*In labris reſidens charis*
*Nectar læta tuis ambroſium liquat.*
*O qui Caſtalios lacus,*
*Amnes Theſpiadum qui cupitis ſacros;*
*Vobis Caſtalij hinc Lacus,*
*Hinc & Theſpiadum ſumite, dum licet,*
*Vndas, quæ aſſiduo beent.*
*Vos plenis calathis ferte citæ roſas,*
*Diuæ, progenies Iouis,*
*Vatique vnanimes cingite tempora,*
*Et Lauro auricomas comas.*
*Sic, ò cùm æſtiferos Sirius exerię*
*Ignes, non Heliconios*
*Contingat Latices, non Aganippidos*
*Fontes: non Satyri leues*
*Perturbent niuei gaudia pectoris.*

*HVNC vos & fidibus decet*
*Conſecrare nouis, carmine & integro.*

## Ad Alexandrum Maraſſottum.

*EN tibi, Alexander, præſtantis munere amici*
*Iam licet optato pellere fonte ſitim.*
*Perlege, quæ veterum referans monumenta virorum*
*Pandit in Auſonia Lipſius hiſtoria.*
*Scilicet hinc diſces Dominæ miracula Romæ,*
*Altius in toto qua nihil orbe fuit.*
*Hic Gladiatorum cernes ſpectacula, pompam,*
*Plenaque terrificis Amphiteatra feris.*
*Vltima Veſtales oſtendens pagina ritus,*
*Bibliothecarum nomina certa dabit.*
*Ergo age, Neſtoreos fęlix dic viuat vt annos,*
*Qui tantas nobis commodat vnus opes.*

## Alexandri Maraſſotti Reſp.

*SI miror fines, acies, æraria, cenſum,*
*Innumeros ciues, claſſes, ſublimia tecta,*
*Auratas ædes, pingues menſaſque Luculli,*
*Theſauros Craſſi ingentes, & munera Regum,*
*Quęque nitent gemmis Cœlo certantia Templa,*
*Amphitheatra, Larem ſacrum, penetralia Veſtę,*
*Vrbis tergeminam molem, lętoſque triumphos,*
*Bibliothecarum numerum magnalia Romæ:*

*Fundere turgentes has cogor pectore voces.*
*Quas habet & Tellus, Ponti quas vnda recondit*
*Diuitias, Roma vna tenet, gazamque Deorum,*
*Integra quæ potitur fratrum Saturnia regna.*
*Regia nam primùm reſidet Iouis alta Tonantis;*
*Et Stygij ſedes ſpectatur nigra Tyranni,*
*Neptuni atque Domus ſplendet ſpecioſa lapillis;*
*Et ſimulacra Deum cunctorum opulenta refulgent;*
*Maxima queis cedant Epheſi monumenta Dianæ,*
*Et Mauſolei ingentis ſpectacula Busti,*
*Quod pietas perfecit opus, charitasque iugalis;*
*Et Rhodius Soli ſacer, immanisque Coloſſus:*
*Iuppiter & cedat ſigno cęlatus eburno,*
*Phidiacæ felix ſolertis gloria dextræ;*
*Amplaque Perſarum Cyri palatia Regis;*
*Quæque Nini coniux struxit miracula muri,*
*Clara Ægypti inſignia, Pyramidesque ſuperbæ.*
*Inclyta præcipuo at caruit tutamine Roma,*
*Quod fulcra imperio poſuiſſet firma ruenti.*
*Vnicus hoc poterat Sophiæ, & Virtutis Alumnus,*
*Quo nihil hoc noſtro ſplendeſcit clarius æuo.*
*Hic LVCARDVS erat, populus quo priſcus egebat,*
*Qui ingenij candore nitens, pietate decorus,*
*Doctrinaque potens, diuini Numinis aura,*
*Inſanos remouens mores, ritusque profanos,*
*Has potuiſſet opes tantas firmare cadentes,*
*Atque Orbis Dominam ſeclo ſeruare perenni,*
*Et tibi tempus edax fatales frangere dentes,*
*Quæque vices rerum variat compeſcere ſortem.*

## In diſceſſu Antonij Bragadeni Vicentiæ Prætoris.

## Ad Michaelem Angelum Angelicum.

*MEns cupit Aonidum dulces tibi promere fœtus,*
*ANGELICE, Aonij gloria prima chori.*
*Sed totum hoc ſtudium properans damnoſa Senectus*
*Abſtulit: en canum nix tegit alta caput.*
*Spiritus hinc tenuis, ſanguis meliorque receſſit,*
*Gratia non partum, non alit alma Venus.*
*Tu, cui dat faciles vires generoſa Iuuentus,*
*Da l'Epiſcopal Porta non lontano.*
*Pe'l cui concorſo piena era ogni via*
*De popoli diuoti e pellegrini*
*Di tutte le Città di Lombardia.*
*E per poter con commodi e diuini*
*Vfficij celebrar, fù fabricato*
*Vn tempio à San Michel da Cittadini.*
*Con diuotion il muro fù traslato*
*De l'Imagin Sacrata in proceſsione,*
*E nel ſontuoſo Tempio collocato.*
*Da le fedeli e pietoſe perſone*
*Con frequentate offerte, e ſommo honore*
*E' viſitato con veneratione.*
*De giorni ſuoi peruenne il Fracaſtore* 1559
*Al fine, e per li merti ſuoi glorioſo*
*A gli altri ei gionto fù, nouo ſplendore.*
*Ad onta de l'edace & inuidioſo*
*Tempo, li fece ne la piazza alzare*
*Di marmo vn ſimulacro maeſtoſo.*
*Selino fe la guerra denontiare*
*A Venetiani, e cento milla armati* 1570
*In Cipri Muſtafà fece ſmontare.*

*Da Turchi i difenſori ſouerchiati*
*Di Nicoſia, dopo braua difeſa*
*Furo con l'armi in man tutti amazzati.*
*Di Famagoſta ſi voltò à l'impreſa*
*Muſtafà vittorioſo, dal Baglione*
*E Bragadino con valor difeſa.*
*Piantò le batterie, poi co'l cannone*
*Fece gran danno, e conuenne partire,*
*Sopraueneudo l'autunnal ſtagione.*
1571 *Paſſato il verno, diſegnò finire*
*La guerra in Cipri, di gēte accreſciuto,*
*Strinſe l'aſſedio con maggior ardire.*
*Con la ſperanza del promeſſo aiuto*
*Faceuan gran difeſa i Chriſtiani,*
*Mādādo i Turchi à mille à mille à Pluto.*
*In lega il Papa Spagna, e Venetiani*
*L'armate loro vnirono in Meſſina,*
*Per il ſoccorſo de Famagoſtani.*
*Faceua co'l cannone gran roina*
*Muſtafà ne le mura, e vn gran torrione*
*Gettò per terra con horribil mina.*
*Da quattro parti con oſtinatione*
*Aſſaltò la Città, ma ributtato*
*Fu ſempre, con de ſuoi molta occiſione.*

*Pian-*

*Piantò altre batterie tutto infuriato,*
*E dando molti aſſalti, e ſempre in vano*
*Per ſdegno ira furor era rabbiato.*
*Non vedendo apparir il Chriſtiano*
*Soccorſo, dubitò reſtar eſtinta*
*Da la potenza e furor Ottomano.*
*Da queſte circoſtanze, & altre ſpinta,*
*La nobiltà, del ſuo fatal deſtino*
*Temea, ſe foſſe per aſſalto vinta.*
*Per ciò fece ſaper al Bragadino*
*Di lei, come del popolo, l'intento*
*In gratia ſua di renderſi à Selino.*
*Quaſi neceſsitato à parlamento*
*Venne con Muſtafà, fu ſtabilito*
*Dar la Città e'l preſidio à ſaluamento.*
*Sopra la fede de l'infellonito*
*Muſtafà, il Bragadino à preſentare*
*Le chiaui con i ſuoi capi, n'era vſcito.*
*Quello con tutti i ſuoi fece pigliare,*
*E tutti in pezzi furono tagliati,*
*Fè'l Bragadino viuo ſcorticare.*
*Intrato in la Città furno i ſoldati*
*Vcciſi, per ſatiar l'ira e'l furore,*
*Sù le galere gli altri incatenati.*

*Fece*

*Fece appiccar de la Città il Pretore*
*Tiepol, e maltrattò Famagoſtani,*
*Non fù ſalua la robba ne l'honore.*
*Mentre facean la maſſa i Chriſtiani*
*In Meſsina, ſi ſpinſe con l'armata*
*A danni Alì de luoghi Venetiani.*
*Da preda ferro fuoco danneggiata*
*Furo del Zante e di Cefalonia*
*L'Iſole, e Soppotò ricuperata.*
*Buda Dolcino Antiuri in Schiauonia*
*Poi preſe, Lucchialì con Caragoſa*
*Con ſettanta galee mandò in corſia.*
*Scorrendo queſta armata baldanzoſa*
*Di Corſula, di Leſina i borghi arſe*
*Tornò di preda carca e vittorioſa.*
*Stando l'armata in Lepanto comparſe*
*Vn Chiaus del gran Turco, e de la reſa*
*Di Famagoſta nuoua lieta ſparſe.*
*D'ordine di quello andò à l'impreſa*
*Di Corfù Alì con tutta ſua armata,*
*E venne con Chriſtiani à gran conteſa.*
*Partì con poco honor e maltrattata,*
*Più che non fece riceuette danni,*
*In Lepanto tornò molto ſcemata.*

*Gion-*

*Gionſe di Spagna in tanto Don Gioanni*
*Con galioni, e galee, per liberare*
*L'Imperio Chriſtian da tanti affanni.*
*Il tutto meſſo in ponto, raſſegnare*
*Fece l'armata, fu poi ſtabilito*
*Da tutti la Turcheſca ire à trouare.*
*Dal nobil porto di Meſſina vſcito,*
*In quattro ſchiere l'armata diſteſe,*
*Drizzò il camin verſo d'Oriente il lito.*
*A Corfù gionſe in cinque giorni, e inteſe*
*Che l'armata Turcheſca ſi trouaua*
*In Lepanto del gran Peloponeſe.*
*Soggiornò alquanto mentre rinforzaua*
*Il Venier de ſoldati e artegliaria*
*L'armata, e quella ben munitionaua.*
*Indi partendo à la Cefalonia*
*Che s'era Famagoſta reſa, e'l Regno*
*Di Cipri preſo, hebbe la nuoua ria.*
*Accrebbe maggiormente ira e diſdegno*
*Ne petti chriſtiani, e vindicare*
*L'oltragio in breue ogn'vn fece diſegno.*
*Haueua fatto Alì ben rinforzare*
*L'armata, e in quattro ſchiere cõpartita,*
*Scoperſe la Chriſtiana al Corſolare.*

*Veni-*

*Veniua à vele piene tutta ardita,*
*Alì, Portau Baſcia il mezzo tenea,*
*Memet la manca, Vlucialì la drita.*
*De l'armata Chriſtiana il mezo hauea*
*Don Gioanni co'l Venier, il destro lato*
*Il Doria, il Barbaig l'altro tenea.*
*Ogn'vn di loro fù ben eſſortato*
*A pugnar per la Fede, glorie, e honore*
*Contro il nemico horribile e ſpietato.*
*Frontateſi l'armate, ò gran ſtupore,*
*Fù ſubito del vento il Turco caſſo,*
*E de Chriſtiani ſi voltò in fauore.*
*Fecero le galeazze gran fracaſſo*
*Ne l'antiguardia, e con ſtrage e terrore*
*La miſero in ruina & in conquaßo.*
*Memet zuffoſsi co'l Proueditore*
*Barbarigo, ſoccorſo dal Canale,*
*Vinto dal Contarin con gran valore.*
*Preſa la Capitana e il Generale,*
*L'altre preſe o ſommerſe, e conquaßate,*
*Ne Turchi ſi sfogò l'odio mortale.*
*In queſto iſtante s'erano affrontate*
*Le quattro capitane oue raccolto,*
*Fù de ſoldati il fior d'ambe l'armate.*

*Con grand'ardir e fiduciato volto*
*Combattendo il Venier, la capitana*
*Di Portau preſe, e quello in fuga volto.*
*Al fine vinta e preſa l'Ottomana,*
*Fece il capo d'Alì Don Gioan alzare,*
*S'vn haſta in popa, e l'inſegna Chriſtia-*
*Ciò fatto cominciarano à gridare (na.*
*Vittoria i Chriſtiani, & inuiliti*
*I Turchi, ſi voltarno per ſcampare.*
*Fù vano ogni diſſegno, perche vniti*
*In più ſquadre i Chriſtiani circondati,*
*Gionſero puochi à lor amati liti.*
*Vedendo i ſuoi compagni ſuperati*
*Caracoſa, ſi ſpinſe frà Chriſtiani,*
*Egli con i ſuoi furo in pezzi tagliati.*
*Riuſciti al Doria i ſuoi diſsegni vani*
*Del mal, che fece Vlucialì cagione*
*Fù, e che ſcampò da le vitrici mani.*
*Portò la nuoua de la diſtruttione*
*De la ſconfitta armata al ſuo Selino*
*Pien d'ira di cordoglio, e di paſsione.*
*Diuiſero i Chriſtiani il gran bottino,*
*E ſopraſtando la ſtagion del verno,*
*Ver le lor terre preſero il camino.*

*Si*

*Si lieta noua da l'Indo à l'Iberno*
*Regno ſi dilatò, fù ringratiato*
*Per tutta Europa il Redentor Superno.*
*In Vinegia ſi fece e nel ſuo ſtato*
*Gran feſte giuochi & archi trionfali,*
*Et il conflitto fù rappreſentato.*
*Facea di guerra ne meſi brumali*
*La Republica gran preparamenti,*
*E ſcambiò de l'armata i generali.*
*In fabricar galere erano intenti*
*Spauriti i Turchi per rifar l'armata,*
*E comparir in mar forti e poſſenti.*
1572 *Poi che de Venitiani raddunata*
*Fù la claſſe in Corfù, mandò inuitare*
*Don Gioanni, e l'altra parte collegata.*
*Non potendo venir, piacque mandare*
*Proſpero Colonna, e co'l reſtante*
*In breue egli promeſſe ſeguitare.*
*Partita da Corfù verſo Leuante*
*A la Cefalonia fù approdata*
*Indi partendo, à l'Iſola del Zante.*
*Si ſpinſe la Chriſtiana ben ſchierata*
*Contro di quella, che inuero fingea*
*Voler venir à la naual giornata.*

*Vluz-*

*Vluzzalì con tal arte tenea*
*A bada i Chriſtiani; alqual impoſto*
*Ordine tale il ſuo Signor hauea.*
*Co'l reſto de l'armata al fin d'Agoſto*
*A Corfù gionſe Don Gioanni, ilquale*
*Venir al fatto d'armi era diſpoſto.*
*Ciò inteſo dal Colonna, e Generale*
*Foſcarini e Soranzo à ritrouare*
*Andaro il loro capo principale.*
*Vniti tutti inſieme, in alto mare*
*Fece Don Gioanni Vlizzalı, à Corone*
*Ritirato, à battaglia disfidare.*
*Fece l'orecchia ſorda, e dal cannone*
*Difeſo di Corone, i Chriſtiani*
*Tratenne inſino à l'autunnal ſtagione.*
*Perciò qualche boraſca in lidi ſtrani*
*Temendo, ritirarſi lor conuenne*
*Nel porto Gomenicio de gli Albani.*
*Indi partendo in Sicilia peruenne*
*Don Gioanni & il Colonna, il Foſcarino*
*Inſieme co'l Soranzo à Corfù venne.*
*Poi preſe Parga e Sopotò à Selino,*
*Mandò à ſpianar da Turchi vn comin-*
*Ne la bocca di Cattaro, Fortino. (ciato*

*Il General Venier fù dal Senato*
*In ricompenſa del ſuo gran valore*
*A l'immortalitade conſacrato.*
*Ad ingroſſar l'armata con ardore*
*Attendeua Selin afflitto, e anſioſo*
*Per ricourar il ſuo perduto honore.*
1573 *Stando il Senato Veneto dubioſo*
*De la coſtanza de ſuoi collegati,*
*Fe pace con Selin, di lei bramoſo.*
*Da tante ſpeſe e cure ſoleuati*
*I Venetiani, furo largamente*
*I Benemerti ſuoi rimunerati:*
1574 *Paſſando per Venetia humanamente*
*Fù'l Rè di Francia Henrico riceuuto,*
*Honorato e trattato regiamente.*
*Per molti giorni fù dal Re goduto*
*Di Venetia il giocondo e grato aſpetto,*
*Per cui principalmente era venuto.*
*Tolto congedo l'antico ricetto*
*Vide de li Troiani con ſtupore*
*Oue fatto li fù regal accetto.*
*Gionſe à Ferrara, e fugli gran honore*
*Fatto dal Duca Alfonſo, e fù trattato*
*Con lauta pompa e con regio ſplendore.*

*Indi*

*Indi partendo à Mantoa accompagnato*
*Fù dal Duca Gulielmo, e pe'l Piemonte,*
*Gionſe in breue à confini del ſuo ſtato.*
*D'ordin del Senato, quaſi vn monte*
*Di marmore in Vinegia fù condotto,*
*E principiato di Rialto il ponte.*
*Il qual con arte e ſpeſa fù da dotto*
*Architteto co'l ſon d'argento e d'oro*
*In anni quattro à perfettion ridotto.*
*Fù d'ordin del medeſimo nel foro*
*Di Giulio Palmanuoua incominciata,*
*Propugnacol d'Italia, e ſtato loro.*
*La quale in ſpatio d'anni dieci alzata*
*E ridotta ad'intera perfettione,*
*Dal Papa benedetta & habitata.*
*E di tanta fortezza, che è opinione*
*Eſſer ineſpugnabil, e ſtupore*
*Arrecca à chi la vede, e ammiratione.*
*Da l'ingiurie del tempo, e dal furore*
*De barbari l'Arena era in mal ſtato*
*Ridotta, e quaſi piena di lordore.*
*Onde in conſiglio fù deliberato*
*Di riſtorarla à ciò di vaſta mole*
*De l'Imperio Roman reſti teſtato.*

*Fur gli archi rinouati eſpoſto al Sole*
*Di mezzo giorno, e dentro gli ſcaglioni*
*E ſuoi ſuggeſti, e come l'arte vuole.*
*Poi l'Academia de li Filarmoni*
*Eretta fù con gran magnificenza*
*In capo à Brà vicino li portoni.*
*Iui da gli alti ingegni d'ogni ſcienza*
*Si tratta, e d'ogni altra arte liberale,*
*Di Pallade, d'Apollo reſidenza.*
*Iui ſi ſcorge quanto ſia frale*
*La ſorte humana d'ambitione piena*
*Di f:amenti del Popolo martiale.*
*Fù principiato in faccia de l'Arena*
*L'armamento per ordin del Senatò,*
*Sin hora à la metà ridotto à pena.*
*In Vicenzo Gonzaga terminato*
*De la Famiglia vn ramo, fù cagione*
*Di molti dãni à Mantoa e al Mõferrato.*
*Il Duca di Niuerſa per ragione*
*Di ſangue ſuccedette al ſuo parente,*
*Mãdò il Figlio à pigliar la poſſeſſione.*
*Per riſpetto di feudo condecente*
*Era, che prima da l'Imperatore*
*Foſſe il Duca inueſtito rettamente.*

*Per*

*Per ciò quello da ſdegno e da dolore*
*Vinto, mandò il ſuo eſſercito fiorito,*
*E d'ogni ſuo ribello vincitore.*
*Cinſe d'aſſedio Mantoa, e'l ſuo circuito*
*Con termine crudel, & inhumano*
*Fù quaſi à ferro à fuogo demolito.*
*Mentre con gran valor il Venetiano*
*Preſidio ſi difende fù introdotto*
*Da vn traditor l'eſſercito Germano.*
*Il qual da l'odio e dal furor indotto*
*A Mantoa diede il ſacco, ad vcciſione*
*Fù il preſidio co'l Popolo ridotto.*
*Guſtauo in tanto del Settentrione*
*Rè, traghettato il Baltico, à l'Impero*
*Germano fece ſubita inuaſione.*
*Inteſo queſto, preſero il ſentiero*
*Verſo la loro patria i Germani,*
*Laſciando de l'Italia l'emiſpero.*
*Fù Mantoa conſegnata a Venetiani,*
*Sinche foſſe il Pupillo atto al gouerno*
*De ſuoi diletti e fidi Mantoani.*
*Finiſco in nome del gran Padre eterno.*

*FINE.*

Imprimatur

Inquiſitor Veronæ

Io Fr: Andrea da Vdene Regente in Santa Euſemia, hò veduta la preſente opera, ne vi hò ritrouata coſa contro la Fede ne buoni coſtumi.

# SCULPTURA CARMEN.

*Auctore* LUDOVICO DOISSIN. S. J.

PARISIIS,
Apud THIBOUST, REGIS Typographum, in Plateâ Cameracenſi.

M. DCCLII.

*CUM PERMISSU.*

# AD SERENISSIMUM
# DELPHINUM.

*REGIA progenies; quem Mars & doctus Apollo*
*Certatim donis excoluere ſuis;*
*Qui clara illuſtrans propriâ natalia luce,*
*Fortunæ debes plurima, plura tibi;*
*Te noſtra implorat ſupplex, DELPHINE, Camœna,*
*Nec timet antè tuos procubuiſſe pedes.*
*Reſpice naſcentem non lævo lumine Muſam,*
*Et pro more tuo, numine dexter ades.*
*Fors erit, ut quondam aggrediar tua dicere facta,*
*Et ſis materies carminis ampla mei.*
*Quæ gladio perages, calamo dein exequar: urbes*
*Quas victor bellò fregeris, ipſe canam.*
*Sufficiet vires, animoſque in carmina Phœbus;*
*Vel ſi fortè negat, tu mihi Phœbus eris.*
*Sponte ſuâ current tali ſub Apolline verſus;*
*Inque tuas laudes ingenioſus ero.*
*Noſtra etiam Sculptura tibi de marmore ſignum*
*Exprimet, aut vultus finget in ære tuos;*
*Sideribus ſimiles oculos, frontemque verendam,*
*Et totum niveo quod ſedet ore decus.*

*Ipſe adero præſens operi, dextramque periti*
*Artificis; Sculptor factus & ipſe, regam.*
*Hinc clypeum, nudoſque tibi Mars porriget enſes;*
*Hinc Pallas laudis carmina plena tuæ.*
*In medio, quernâ redimitus tempora fronde,*
*Sublimi ſtabis conſpiciendus equo.*
*Sic Sculptura tibi, ſic ſerviet ipſa Poëſis,*
*Laudes illa tuas pinget, & iſta canet.*

# SCULPTURA
## CARMEN.

SCULPTURAM canere aggredior; ſeu marmora circum,
Aut lapides verſatur agens; ſeu marmoris expers
Aut lapidis, vitam infundit ſenſumque metallo.
Huc ades, ô magni decus ingeniumque parentis
Pallas; & audentem Sculpturæ accedere fontes
Aſpectu recrea, atque audacibus annue cœptis.
Debita pro tanto ſolvam tibi munere dona.
Haud equidem cadet ante aras ingloria taurus
Hoſtia: ſed lævi ſtabis de marmore tota,
Pallenti teneram frontem præſignis olivâ,
Et tremulum niveo quaſſans haſtile lacerto.
ᵃ Antè laborato quàm Sculptor marmore vultus
Exprimere incipias, liquidove animare metallo;
Fictilis eſt primùm gypſo, ceràve tenaci
Effigies fingenda tibi; quam deinde ſequaris

ᵃ *Le Modèle en terre cuite, ou en plâtre.*

Æmulus ipſe tui, ac imitando vincere certes.
Sic priùs incipiat quàm telæ credere formas,
Et mutis animam ſuccis infundere pictor,
Exemplum meditati operis breviore papyro
Deſcribit, magnæ præludia parva tabellæ.
Proxima [1] deinde tibi ſit cura accerſere marmor,
Aut lapidem, fabricandi operis, laudiſque futuræ
Materiem: referat marmorque, lapiſque politam
Planitiem ſpeculi, quæ ſoli adverſa renidet,
Et vitreo objectas mentitur in æquore formas.
Sufficiet lapides Arvernia, nobile marmor,
Aut Genua, aut toto celebris Paros inſula ponto.
At ſi pauperior ligno [2] uteris, utere ligno,
Quod nona ad minimùm revolutis meſſibus æſtas
Viderit avulſum cæſo de corpore matris.
Ni facias, miſerè ſtatuam labentibus annis
Deformet fæda excreſcens in tubera lignum,
Et fruſtrà impenſum tempuſque oleumque requiras.
Omnis in hunc uſum tibi commoda ceſſerit arbos,
Et tilia, & ſorbus, cedruſque, & raſile buxum,
Et pyrus, & citrum, foliiſque oleaſter amaris,
Palmaque, caſtaneæque, ebenuſque, & odora cupreſſus;
Qualem divitibus Cyprus educat inſula ſylvis.

1 *Sculpture ſur le Marbre & ſur la Pierre.* 2. *Sur le Bois.*

1 Sic * autem effinges vivas fuſo ære figuras.
Exemplar primùm argillâ, glebâve tenaci
Fingitur: argillæ tum cruſta inducitur udæ
Cerea, quæ ſtrictis amplexibus alliget artus;
Ut nuda humanum pellis ligat undique corpus.
Ipſa dehinc tegitur medicato ſtercore cera;
Noſtra ut multiplici velatur pellis amictu.
Immundum gelido cum induruit aëre cœnum;
Protinùs admoto tepefacta reſolvitur igne,
Venturoque aditum recludit cera metallo.
Queis ita perfectis, ſcrobs tandem grandis apertâ
Detegitur tellure, locus, ſedeſque Typorum.
Intereà rigidum vaſtâ fornace metallum
Excoquitur, craſſoſque eructat ad æthera fumos.
Dum loquor, impatiens vinclis & carcere ſolvi
Quà data porta, ruit; non ſic fracto objice torrens
Præcipitat; fluit æs rivis, formamque Typorum
Accipit impreſſam, creſcunt humerique manuſque,
Aurea luxuriant graciles per colla capilli,

1 *Sculpture en Fonte.*

* *Pour jetter en fonte une Statue, on fait d'abord un moule de terre cuite, qu'on enduit d'une couche de cire, plus ou moins épaiſſe, ſelon qu'on veut donner plus ou moins d'épaiſſeur à la Statue; c'eſt ce que les Fondeurs appellent chemiſe de cire: ſur cette première couche on en met une autre faite de fiente de cheval & d'autres matières ſemblables détrempées dans l'urine: cette dernière couche doit être beaucoup plus épaiſſe que la première. Après qu'elle eſt bien durcie, on fait fondre la cire, & on jette le métal à ſa place. Voilà toute la méchanique de cette operation, qui demande beaucoup de temps, de ſoins & de précautions.*

Turget inane caput, digitorum naſcitur ordo,
Crura tument, ſurgit cervix, protuberat alvus,
Natus homo eſt. Mediâ ſpirat redivivus in urbe
Henricus: ſpirat rigido LODOICUS in ære,
Qualis erat denſos medius cum nuper in hoſtes
Iret, & impavido proſterneret agmina vultu.
[1] Naturam inprimis ſolers imitare magiſtram.
Nimirùm indè tuis ſplendorque decuſque figuris
Venerit, & vulgus Sculptorum ignobile vinces,
Ingens quantùm alios ſuperat venâ ubere Vates
Virgilius, molli ſeu ludit paſtor avenâ
Jurgia Paſtorum, aut propiori numine plenus
Bella horrenda canit, rapidique incendia Martis.
Æquora ſi fingis, ſic finge ut vera putentur
Æquora, marmoreos imitentur marmora fluctus.
Invitet ſomnos ſub opacis frondibus arbor,
Ambiat & talem feſſus reperire viator.
Finge roſas, nitidis quales naſcuntur in hortis,
Quales blanda velit capiti implicuiſſe puella.
Scilicet hinc veteres laudem meruere decuſque
Artifices: hinc dum in terris Sculptura vigebit,
Ipſorum in toto nomen celebrabitur orbe.
Ecquid Praxitelis Venerem [2] loquar? Aſpice blando
Quantus in ore decor, teneris quàm viva labellis
Gratia, quàm pulchrè fluitent ſine lege capilli.
Marmoreum quis credat opus, niſi ſtaret eodem

*1 L'Imitation de la Nature. 2 La belle Venus de Praxitèle dans le Palais Borghèſe.*

Uſque loco? Sic namque oculos, ſic ora tuliſſe
Crediderim Venerem, cum primùm emerſa marinis
Fluctibus, attonitos cœtus ingreſſa Deorum eſt,
Et magni Jovis aula novo ſplendore refulſit.
Quid referam alterius monumentum inſigne laboris
Laocoonta,[1] duo quem immenſis orbibus angues
Circumdant, ſpiriſque ligant ingentibus artus.
Cernis, ut ora modis contorqueat horrida miris
Laocoon ſanie aſperſus fædoque veneno?
Ut diſtenta tument inflatis guttura venis?
Horreſco aſpectans, gelidos tremor occupat artus,
Et fugio infandâ turbatus imagine mentem;
Uſque adeò mirandâ opifex artem occulit arte;
Naturæ ſolers imitator & æmulus audax!

Quare age, ſeu mavis molles fuſo ære figuras
Cudere, ſeu teneros è marmore ducere vultus;
Marmoribus vitam, ſenſumque infunde metallo,
Ipſaque naturam naturæ imitatio vincat.
Hinc adeò occultos motus, internaque mentis
Prælia pinge mihi vultuque oculoque loquaci.
Turbatam oſtendat frontem timor, ira minacem,
Dejectam luctus, blandam ſpes, alma ſerenam

*1 Le Laocoon du Vatican; Grouppe admirable fait d'une ſeule pierre, par Agéſander, Polydore & Athénodore Rhodiens, excellents Sculpteurs. On peut voir le magnifique Eloge qu'en fait Pline au XXVI Livre de ſon Hiſtoire naturelle.*

Lætitia, & marmor, quanquam ſine voce, loquatur.

Fœmineum exhibeat Dido decepta furorem,
Alcione luctum, rabiem Medea, dolorem
Andromache, furias Pentheus, Caſſandra pavorem.

Ipſa ſub artifici ſpirent animalia cœlo!
Muta licet, torvamque lupi ſic ſculpe figuram,
Et patulos rictus, denteſque, oculoſque voraces;
Ut, verus ſimulatum hoſtem ſi viderit agnus,
Præcipiti repetat caulas & ovilia curſu,
Exertos fugiens ungues, porrectaque roſtra.
Hinc tantos olim meruit Lyſippus honores,
Diverſa inprimis animalia ponere doctus.
Audacem ſi fingit equum, jam poſſe videtur
Currere; ſi piſcem, patrias innare per undas;
Si taurum, mugire putes; rugire leonem;
Immanes ululare lupos, & frendere tigres:
Uſque adeò mendax oculis imponit imago!
Ecquid opus docti Vaccam [1] laudare Myronis
Ære laboratam: pendent palearia mento,
Grande caput, patulæ nares, frons aſpera, cauda
Mobilis, hirſutum pectus: ſpirare putares.
Si videat taurus, ſolitos meditetur amores;
Mugitum tollat vitulus; deluſus arator
Ad ſtabulum impellat; premat inſcius ubera
Paſtor.

[1] *La fameuſe Vache de Myron ſi bien célébrée par les Epigrammatiſtes Grecs, & les Poëtes Latins.*

Artis [1] erit ſummum ſic flexile reddere marmor,
Ut quamcunque voles ſumat tractabile formam;
Par lanæ, facilive luto, ceræve ſequaci:
Tractatumque manu doctâ, nunc lubricus anguis,
Nunc fiat maculoſa tigris, nunc terga draconis
Induat horrendi, fulvi nunc ora leonis
Accipiat, formas patiens manſueſcere in omnes.
Sint [2] pannis largique ſinus, amplumque volumen:
Contrectare manus poſſit, levis aura movere,
Et tenuis Zephyri ſpirans agitare flabellum.
Candida nativis imitentur lintea rugis,
Virgatas chlamydes, contorto carbaſa lino;
Atque artus circum ſinuoſis flexibus errent:
Qualis multiplici fugiens per gramina lapſu,
Anguis verrit humum, atque immenſa volumina torquet;
Aut velut extendens per inanes brachia clathros
Vinea, nexilibus ramis ſe tollit ad auras,
Et nudos veſtit ſerpenti palmite muros.
*Intererit* [3] *multùm* ſervus fingatur *an Heros;* [*]
Decrepitus ne ſenex, an adhuc juvenilibus annis
Fervidus; an longo duratus membra labore
Ruſticus, aut aſſueta colos tractare puella;
Gallus, an auriferi qui potor & accola Gangis

1 *La coupe du Marbre.*
2 *Les Draperies.*
3 *Varieté dans les Figures ſelon la difference des perſonnes.*
* *Horace, Art Poëtique.*

Vicini rapido torretur ſolis ab igne.
Patria, conditio, ſexus, ſpectetur & ætas.
Narciſſum fingis? Narciſſo lilia funde
Prodigus, & blandos in corpore ſparge lepores.
Effœtum ſed pone ſenem, cui pallida corpus
Deformet macies; devexo pondere cervix
Spectet humum, dubioque tremant veſtigia greſſu;
Sint hebetes oculorum acies, denſiſſima barba,
Exangues vultus, calvum caput, arida pellis,
Rugaque multiplici frontem cavet aſpera ſulco.
Non divina volunt, ut cætera corpora, fingi.
Sint magnis magna oſſa Deis, proceraque membra,
Et plusquam humanum humanâ ſub imagine corpus.
Sic * Solem Sculptor cum ponere vellet in ære,
Cuderat ingentem ſtatuam, quæ vertice nubes
Tangeret, & gemini ſuffulta cacumine montis,
Prodigioſa inter crurum intervalla, carinas
Exciperet plenis ſubeuntes oſtia velis.
Orbis adoravit tantâ ſub imagine numen.
Accipe nunc, [2] quænam doceat poſitura figuras.
Infelix mater ſobolem quæ luget ademptam,
Ora tegat pudibunda manu, lacrymaſve cadentes
Linteolo abſtergat: ſic quà de marmore ſurgit

*1 Les Figures Coloſſales.*
* *Le Coloſſe de Rhode en l'honneur du Soleil.*
*2 Les Attitudes.*

Richeli-

Richelio [1] ingentis moles operoſa ſepulchri,
Flet mulier, largoque humectat flumine vultum;
Cui mœſtos adeò geſtus, habitumque dolentis
Nativâ ſolers deſcripſit imagine Sculptor,
Ut dolor ipſe alio fingi neget ore; nec ipſe
Spectator lacrymas valeat retinere ſequaces.
Sit cubito innixus vates, quem ſævus Apollo
Haud blandis urget ſtimulis. Sit corpore pronus
Qui veniam implorat, preſſiſque ad pectora palmis,
Ardentes ſupplex vultus ad ſydera tollat,
Aut oculos demittat humi mœrore gravatos.
Averſus retrò incumbat, quem forma repentè
Horribilis viſu terret; capitique tuendo
Officioſa vices clypei gerat utraque palma.
Sic teneræ matris gremium, amplexuſque petebat
Territus Aſtyanax; cum magni torva videret
Ora Patris, nudoſque enſes, flammaſque vomentem
Terribilem galeam, & nutantes vertice criſtas.
Membrorum [2] mira inter ſe conſenſio regnet;
Immanem nec crura ferant exilia molem;
Aut humeros ſuper ingentes puerile recumbat
Exiguumque caput: ſummis ut pendula tectis
Bracteola aſſurgit; tenui quæ concita vento
Volvitur, & multos dat in aëre ſtridula gyres.

1 *Le tombeau du Cardinal de Richelieu en Sorbonne, de Girardon.* 2 *Les Proportions.*

Inprimis quamcumque mihi ſic ſculpe figuram ,
Ut quamvis cæſo inſcriptum ſub marmore nomen
Haud legitur , tamen ex ipſo deprendere poſſim
Intuitu mentem artificis , nomenque figuræ.
Haud ſecus expreſſit fictâ ſub imagine Sculptor
Inſignem facie juvenem [1] , qui ſuſtinet aurea
Poma manu , digitiſque pedum ſuſpenſus in imis
Emicat ; & celeri volet ilicet ocyor euro ,
Ni baſis aſtrictos artus , & crura ligaret.
Agnoſco Hyppomenem , mentique Atalanta recurrit ,
Dicta leves curſu rapido prævertere damas ,
Antevolare notos , nec in æquore tingere plantas.
Sic etiam niveum Pario de marmore finxit
Annibalem [2] Sculptor , cui multus decidit in vas
Annulus è manibus, Cannenſis præda triumphi.
At ſpirat quiddam indomitum, Romanaque ſigna
Inſultans Aquilam calcat , fruſtrà ore minaci
Exertantem ungues, ſubjectaque colla tumentem :
Terribilem agnoſco Pœnum , qui fulminis inſtar
Fregit inacceſſas Alpes , domitamque ſubegit
Italiam bello , & Romanas terruit arces.

1 *A Marly on voit ſur un piédeſtal une ſtatue de marbre qui repréſente Hyppomènes qui court , & tient à la main les pommes d'or que Venus lui avoit données. Elle eſt au milieu du baſſin appellé le baſſin des carpes.*

2 *Aux Tuileries , au bout de la grande allée du milieu , près du grand baſſin, Annibal comptant les anneaux des Chevaliers Romains tués à la bataille de Cannes ; par Sébaſtien Slodtz, Sculpteur Flamand.*

Hæc equidem Sculptor prudens exempla ſecutus,
Quamque notis ſtudeat propriis ſignare figuram.
Sylvanus teneram ferat ab radice cupreſſum ;
Pulſet Apollo chelym ; prætentet pollice ſolers
Calliopea lyram ; ſpeculum Venus aurea geſtet ;
Spicula parvus Amor, pharetramque, arcuſque
ſonantes ;
Flora roſas ; plenis fructus Pomona caniſtris ;
Spicea ſerta Ceres ; Momus larvam ; ægida Pallas ;
Pan calamos ; ſphæram Uranie ; falcemque
Priapus.
* At ſi fortè baſis plures ferat unica formas ;
Hoc opus, hic labor eſt diverſos indere geſtus
Cuilibet ; ut niveo finxit qui marmore Nilum, [1]
Deſcripſit puerile, Deus quo cingitur, agmen.
Inſidet hic humeris ; hic grandia crura fatigat
Parvus eques ; cochleas hic colligit ; ille lapillos ;
Atque alios alius meditatur in æquore luſus,
Ut tulit ingenium, trahit aut ſua quemque vo-
luptas :
Quos inter mirâ Nilus gravitate recumbit,
Sphinge ſuper nixus, pronâque reclinis in urnâ.
Neſcio quid toto divinum ſpirat in ore,
Et ſedet in vultu Majeſtas Numine digna.
Atque utinam liceat longo deſcribere verſu
Singula Sculpturæ miracula ; qualia quondam

* *Les grouppes.*

1 *Grouppe de marbre aux Tuileries repréſentant le Nil. Il a été fait à Rome d'après l'antique, par les Penſionnaires du Roi.*

Phidiacus labor effudit, doctique Myronis
Dextera, quæ fulvo ſinxit Lyſippus in ære,
Praxiteles, doctuſque Scopas, audaxque Prometheus,
Creditus æthereis rapuiſſe è ſedibus ignem,
Quod vitam daret ille ſuis animamque figuris.
Nec divina tui, Michael, ſimulacra laboris
Prætercam : horrendum membriſque animiſque Gigantem ; [1]
Aligeram Veneris Prolem [2] ; Julîve ſepulchri
Magnum ornamentum pario de marmore Moſen ; [3]
Flammea cui ſacram diſtinguunt cornua frontem,
Longaque deſcendit ſubjecto in pectore barba,
Inſidias factura oculis ; tam ſculpta peritè
Exprimit illa pilos, incanaque vellera menti :
Talis erat Vates, referens cùm numen in ore,
Suſpenſos inter fluctus, undaſque frementes
Duceret Iſacidum turmas ; virgâve potenti
Fœcundos latices tactâ de rupe juberet
Ubertim fluere, & largos è pumice rores
Diſpergi, gratos populis ſitientibus hauſtus.
Pande Vaticanos [4] hortos, Burgheſia [5] pande
Limina, Phœbe, mihi : ſit fas ſpectare labores
Doctorum Artificum, & veteris ſpectacula Romæ.

1 *Le Géant de Michel Ange à Florence.*

2 *Son Cupidon.*

3 *Son Moyſe, le plus bel ornement du tombeau de Jule II. Il ne s'eſt rien fais de plus parfait depuis les Anciens.*

4 *Les Jardins du Vatican à Rome, pleins de morceaux des plus grands Maîtres.*

5 *Le Palais Borghèſe.*

Quanquam ego cur demens peregrinæ munera terræ
Commemoro ? cùm jam nec Romæ Gallia cedat.
Hinc adeò reliquas inter caput exerit urbes
Francigenæ Princeps, Materque Lutetia gentis.
Quid grandes portarum arcus, celebratave dicam
Compita; marmoreos, urbis miracula, fontes; [1]
Atque tuum imprimis, ingens Bucardo, laborem,
Egregium artis opus, quo Roma ſuperbiat ipſa;
Tantus ineſt panniſque decor, ſplendorque figuris!
Hîc ſedet auguſto Regina Lutetia vultu,
Et populis dat jura ſuis, cui purpura pendens
Defluit ex humeris, atque aurea fibula nectit.
Sceptrum dextra gerit, corpus velatur amictu,
Et molles cingit rutilum diadema capillos:
At virides inter juncos, cannaſque paluſtres,
Matrona cœruleos latices, & Sequana fundunt,
Et Dominam recreant ſociatis fluctibus urbem:
Eximium laudaret opus Tritonia Pallas.

Aſpice [2] quàm leni præterfluit agmine turres
Sequana magnificas, atque alta palatia Regum;
Quàm pulcher ſe ſe ſplendentibus offerat hortis
Ordo figurarum, deceptaque lumina paſcat.

1 *La Fontaine des Saints Innocens : celle de la rue de Grènelle, ouvrage du célébre M. Bouchardon, &c.*

2 *Aux Tuileries, entre autres Statues, un Faune qui joue de la flute; & une Flore de Coizevox; le grouppe d'Enée, d'Anchiſe, & d'Aſcagne; de le Pautre. Au haut du Fer à Cheval, deux chevaux aîlés de marbre, dont l'un porte une Renommée qui embouche ſa trompette, & l'autre un Mercure.*

Hîc Faunus tereti modulatur arundine carmen;
Mobilibus credas digitis percurrere cannam.
Illîc marmoreâ ſpirat ſub imagine Flora,
Os humeroſque Deæ ſimilis: namque ipſe decoram
Cæſariem Floræ Sculptor, lætumque juventæ
Afflavit lumen, niveæque inſignia formæ.
Parte aliâ Anchiſen ſubſtratus pelle leonis
Fert humeris pius Æneas, quem pulcher Jülus
Pone ſubit, ſequiturque puer greſſu impare patrem.
Quadrupedem quid utrumque loquar, queis docta periti
Sic manus artificis finxit lumboſque, pedeſque,
Criſpanteſque jubas, atque alta volumina crurum;
Ut tales olim optaſſet ſibi Caſtor habere,
Cùm victor medios rueret ſublimis in hoſtes,
Aut valido annixus torqueret pila lacerto.
Atque adeò tecum haud formâ certare recuſent
Bucephale, ingenti quanquam ſeſſore ſuperbis,
Et totum latè celebretur fama per orbem:
Quid Sancloviacas [1] opus eſt memorare figuras;
Marliacæ [2] ſimulacra Domûs; ſpectacula Pompæ
Verſalicæ [3]; campos ubi veſtit largior æther,
Diviſumque tenet ſolium cum Pallade Flora.
Namque inter nemorum latebras, hortoſque nitentes,
Marmoreæ ſurgunt paſſim fuſæque figuræ.

[1] *Les Statues de Saint Cloud.* [2] *De Marly.* [3] *De Verſailles.*

Hinc mollis niveo ridet ſub marmore [Bacchus [1]
Purpureâ circùm redimitus tempora vite;
Qualis erat cùm pulchram olim Minoida ſolo
Littore deſertam turbâ comitatus amorum
Convenit, lacrymaſque manu deterſit amicâ.
Illinc ſe Latona oculis mirantibus offert
Cratere in medio, [2] & fœtu comitata gemello:
Ardentes ſupplex vultus ad ſidera tollit,
Queſta Jovi; gelidos quia dùm potura liquores
Acceſſit, recreare ſitim communibus undis,
Turba procax vetuit: nec ſurdâ reſpuit aure
Jupiter: in turpes mutantur corpora ranas
Agricolæ; at veteris ſervant convicia linguæ,
Ultricemque odere Deam, ranæque procaces
Ejaculantur aquas, marmorque aſpergine rorant.
Non procul hinc agnoſco tuum, Pugette, Milonem [3],
Eximiæ ſimulacrum artis; quem fiſſile robur
Captivum retinet: verum ecce paludibus exit
Bellua vaſta leo, & rabie ſtimulatus edendi,
Imprimit in magno truculentos corpore dentes;
Offenſum luget marmor, furit, æſtuat, ardet.

*1 Dans le Parc de Verſailles, Bacchus couronné de raiſins. Cette Statue eſt de Regnaudin.*

*2 Le Baſſin dit de Latone, ſur lequel s'éleve un grouppe de trois figures qui repréſente Latone au milieu d'Apollon & de Diane ſes enfans. Le Sculpteur a pris le moment où Latone ſe plaint à Jupiter de la dureté des Payſans de Lycie. Le Baſſin & les Figures ſont l'ouvrage de Marſy.*

*3 Le Milon de Pugete.*

An memorem Phœbi mergentis in æquore currus
Balnea [1] ? Stant circùm famulæ pulchro ordine
Nymphæ,
Cæſariem effuſæ per eburnea colla decenter :
Aureas hæc phialas, laticeſque effundit olentes ;
Altera linteolo detergit, & altera ſparſos
Molliter in nodum religat poſt terga capillos.
Intereà ſtabulantur equi, vireſque reſumunt,
Quò valeant terras iterùm luſtrare patentes,
Ætheris immenſos tractus, cœlumque profundum.
Quid Venerem [2], Martemve [3] ſequar, celeremve Dianam [4] ;
Andromeden [5] ſaxo affixam, cui vincula Perſeus
Solvit amans; lymphas pro flammis ore vomentem
Enceladum [6]; aut rigido transfixum pectora
ferro
Athletam [7], & ſenſim, ſaxo moriente, cadentem.

1 *Les Bains d'Apollon. Grouppe de ſept Figures, & un des plus grands qui ait encore paru. La Figure d'Apollon & des trois Nymphes de devant ſont autant de chef-d'œuvres, de Girardon. Les trois de derrière ſont de Regnaudin. A droite & à gauche ſont deux autres grouppes. Ils repréſentent les chevaux d'Apollon abreuvés par des Tritons. Celui qui eſt à droite eſt de Guerin, l'autre de Marſy.*

2 *Vénus ſurnommée la Pudique à cauſe de ſon attitude modeſte. Cette Statue eſt de Coizevox d'après l'antique qui eſt à la vigne Borghèſe.*

3 *Le Mars de Desjardins.*

4 *La Diane de Marſy.*

5 *L'Andromède de Puget.*

6 *Encelade accablé ſous le Mont Oſſa & le Mont-Olympe, de Marſy.*

7 *Le Gladiateur mourant de Moſnier d'après l'antique qui étoit autrefois à la vigne Ludoviſio.*

Non mihi ſi centum facilis Deus annuat ora,
Singula dicendo percurrere marmora poſſim;
Quidquid Pugettus [1] finxit, Gujoque [2], Piloque [3],
Vanclevuſque [4], & Legeretes [5], Sarazinus [6], & ambo
Anguerii fratres [7]; quid cum Theodone [8], Girardo [9],
Marſius [10] & Flamen [11], quorum inclyta nomina nunquam
Ulla dies poterit, nec edax abolere vetuſtas;
* O, ſi tantorum veſtigia nota ſecutus
Artificum, primis tractaſſem marmor ab annis;
Ut calamum & libros; quàm Principis ora juvaret
Naſcentis, ſimilemque ad vivum effingere formam!
Non me Praxiteles vincat, non ipſa Myronis
Dextera. Jam primùm docili de marmore cunas
Exprimerem: cunis recubaret amabilis infans,
Qualis Amor fingi ſolitus, ſi fortè ſopori
Lumina permittat: Puerum complexa jacentem
Afforet ipſa Parens myrto redimita virenti;

1 *Puget grand Sculpteur, grand Peintre, grand Architecte François.*
2 *Goujeon Sculpteur François.*
3 *Pilon Sculpteur François.*
4 *Vanclève Sculpteur François.*
5 *Legeret Sculpteur François.*
6 *Sarazin Peintre & Sculpteur François.*
7 *François & Michel Anguier Sculpteurs François.*
8 *Théodon Sculpteur François.*
9 *Girardon Sculpteur François.*
10 *Marſy Sculpteur François.*
11 *Flamen Sculpteur François.*
* *Ce Poëme fut récité quelques ſemaines après la Naiſſance de Monſeigneur le Duc de Bourgogne.*

Afforet ipſe Pater velatus tempora lauro ;
Et noſter Lodoicus amor, quem prodiga totum
Deſuper expanſis tegeret victoria pennis :
Gallia non procul hinc auguſtæ inſignia Gentis
Lilia porrigeret Puero ; cui turba jocorum
Spargeret è calathis circum cunabula flores,
Lætaque odorato ſacrum caput imbre rigaret.
Intereà ſolers ærata cuſpide Pallas
Carmina marmoreis hæc ſcalperet aurea cunis :
Borbonia hîc spirat ficta sub imagine Proles,
Deliciæ Matris, spes Regni, Patris imago.
* Sive autem ære mihi, ſeu marmore *Proſtypa* fingis ;
Qualia vel foribus Regum ſublimibus adſtant ;
Vel doctis veterum apparent impreſſa columnis ;
Cælatis Sculptor Pictorem imitare tabellis :
Namque ſuas habet ipſa etiam Sculptura tabellas ;
Ipſa ſuas umbras, proprios habet ipſa colores.
Inprimis ſibi non noceat confuſa tumultu
Turba figurarum ; ſed amico fœdere junctæ
Auxiliumque decuſque ſimul ſibi mutua præſtent.
Sic habilis rigido quondam deſcripſit in ære
Sanguineam Sculptor pugnam [2], quâ viribus impar,

**Les Bas-reliefs.* 1 *La Clarté.* 2 *Bataille de Turkeim le 6 Janvier 1675; où M. de Turenne força les Impériaux de repaſſer le Rhin avec vingt mille hommes qui leur reſtoient de ſoixante mille dont leur armée étoit compoſée en entrant en Campagne.* Hénaut, an. 1675.

Non animo, non arte minor, Turennius Heros
Auſtriacas fudit, Rheno frendente, Phalanges.
Hinc fugiunt hoſtes, illinc fulgentibus armis
Urget agens Gallus; ſtrictum micat undique ferrum :
Parte aliâ rutilo Ductor ſpectandus in oſtro
Eminet, & cunctis igneſque animoſque miniſtrat :
Pugna reſurgit atrox; denſo ruit agmine turba;
Semineces volvuntur equi; mixtuſque viro vir
Implicuit ſeſe; pulſu tremit excita tellus,
Et fuſo latè reſtagnant ſanguine campi.
Verùm inter ſtragemque virûm, armorumque tumultus,
Ordine cuncta ſuo pulchrè digeſta notantur,
Nec mixtis ingrata venit confuſio formis.
Haud ſecus argutas voces ſi quandò maritat
Muſica cum fidibus, reſonent licet organa mille,
Præclarum quiddam exurgit, blandumque ſonorem
Offenſi lapides, & concava ſaxa remittunt,
Concordeſque vel ipſa ſonos diſcordia gignit.
* Ut medius pendens Lychnus laquearibus aureis,
Vaſta licèt largo circùm atria lumine complet,
Sic totâ focus in tabulâ ſit luminis unus,
Hauriat unde omnis, veluti de fonte, figura;

* *Un ſeul centre de Lumiére.*

Et ſculpta exugant proprium ſimulacra nitorem.
* Nativas ſi ruris opes, & munera fingis,
Neſcio quid lætum ſculptis infunde tabellis:
Candida ſub docto naſcantur lilia ſcalpro;
Pallentes violæ, tenerâ lanugine poma:
Marmoreo inprimis redivivus ab æquore Titan
Veſtiat excelſos naſcenti lumine colles:
Hîc leni fugiat per florea prata ſuſurro
Rivulus, & læves interſtrepat unda lapillos;
Illîc maturas robuſtus meſſor ariſtas
Colligat in faſcem; molles aut vinitor uvas
Exportet calathis, rubicundi munus Jacchi.
Non procul hinc paſtor lentè reſupinus in umbrâ
Agreſtes inflet calamos; dum gramina campis
Tondet ovile pecus, viridique exultat in herbâ.
Pone lupum in ſylvis, teneros in montibus agnos,
In pratis tauros, mutos in flumine piſces,
Errantes paſſim per inhoſpita ſaxa capellas,
Et damas, imbelle genus, cervoſque fugaces.
Expreſſi nativa placet ſic ruris imago.
Reſpice quid deceat [1]; nec ſit pars una tabellæ
Nuda tibi penitus, dum plures altera formas
Obtulerit: ſed utramque pari diſcrimine Sculptor
Veſtiat, & juſto dimenſam examine libret.
* Umbrarum ad lucem, vel amicas lucis ad umbras
Tranſitus offendet, ſi ſit velocior: ergò

*Les Payſages.* 1 *L'Equilibre.* * *Les Ombres & les Jours.*

Sic prudens manus artificis diſpenſet utrumque,
Ut nimiam umbra diem, nimiam lux temperet umbram,
Et ſutura habilis ſpectantia lumina fallat.
Sic rerum ille opifex nutu qui temperat orbem,
Splendori ſolis nimio præcedere lumen
Mitius auroræ jubet; & non illicò terras
Involvit tenebris; ſed blanda crepuſcula mittit,
Et noctis ſimul & roſeæ confinia lucis.
* In mediâ eniteat Princeps perſona tabellâ;
Ut ſolet in ſcenâ ſe prodere Regius actor,
Atque omnes ſpectantum in ſe convertere vultus.
Sic rutilo quondam Nioben qui Sculptor in ære
Condidit, & Niobes fatum miſerabile prolis,
Exanimes inter natos, nataſque peremptas,
In medio matrem appoſuit, quæ corpore toto
Totâ veſte tegens, minimam defendere natam
Nititur incaſsùm, & triſti ſubducere letho:
Namque venit nullâ medicabilis arte ſagitta,
Quæ teneram volucri transfigit arundine prolem:
Matris in exanimi ſpirat dolor iraque vultu.
*Denique* [2] *ſit quodvis ſimplex duntaxat & unum.** 
Sobria faſtidit nimia ornamenta tabella.
Naufragii cælanda tibi feralis imago:
Quid mihi maturas Sculptor malè prodigus uvas
Exprimis, aut flores, myrtoſve, humileſve cupreſſus?

** La principale Figure.*
*1 Niobé au milieu de ſes enfans morts ou mourants, dans les Jardins de Médicis, On attribue ce Bas-relief à Scopas ou à Praxitèle. 2 L'Unité.*
** Horace, Art Poëtique.*

Quid volucres cœlo, quid mergos littore fingis?
Æquoris irati ſpeciem volo; finge tumentes
Horrendùm fluctus, eliſaque nubibus atris
Fulgura, nigrantem commiſtâ grandine nimbum,
Pallentes gelidâ mortis formidine nautas,
Et de præcipiti pendentem rupe carinam;
Immenſo velut in pelago, ſi fortè procella
Incubuit, nimboſque ferens noctemque profundam;
Protinùs accenſus crebris micat ignibus æther;
Ingeminant auſtri; cœlum tonat; æquora fervent;
Præcipiteſque ruunt reſolutis nubibus imbres.
* Quid jam Sculptoris dotes & munia dicam?
Sculpturæ quiſquis ſacros penetrare receſſus
Cogitat; an magnum tantis reſpondeat auſis
Ingenium, exploret, prudenſque interroget alas,
Ignoto antè velit quam ſe committere cœlo.
Non omnes ſectò humanos de ſtipite vultus
Ducere, vel mutis poſſunt infundere vitam
Marmoribus: licitum id paucis, quibus æqua Minerva
Arriſit blandè aſpirans, animoſque miniſtrat:
Ergò niſi fœcundum habitet ſub pectore numen,
Necquicquam in ſterili multùm ſudabis arenâ,
Ingrato impendens noctemque diemque labori.
Heu! nunquam ad ſeros pervadet fama nepotes.

* *Qualités du Sculpteur. Le Génie.*

* Solemnes etiam populorum calleat uſus
Sculptor, & in variis quæ ſint diſcrimina cultûs
Gentibus: hîc longam, veteri pro more parentum,
Induitur veſtem populus; quam ſutilis ambit
Baltheus, & lato ſubnectit fibula clavo:
Pes nudus, caput abraſum; ſed longa capillos
Abſentes reparat prolixo vellere barba.
Illîc aureolos mos eſt criſpare capillos,
Et barbam tondere gravem, circumdare plantis
Vincula, pileolum capiti geſtare decorum.
Hîc galeâ miles, criſtâque hirſutus equinâ,
Ære caput, rigido defendit acinace corpus;
Illîc nec galeâ tegitur, nec cingitur enſe,
At gravidam ex humeris pharetram ſuſpendit & arcum,
Et jaculo bellum exercet, levibuſque ſagittis.
Ergò pro variis veſtis varianda figuris,
Signandæque vices; nec ineptum imitabere factum
Artificis, qui cum Ottomanâ de gente virum quem
Finxiſſet, curtam longo prò Syrmate veſtem,
Et petaſum dederat pro lineo ferre galero,
Et magnum armato lateri ſuſpenderat enſem;
Ridiculè: nec enim gravius, me Judice, peccet,
Qui pinnas avibus, vel equinæ cornua fronti,
Aut rigidas tauro ſquammas, pennaſve leoni
Affingat; rerum naturam & nomina mutans.
*Membrorum inprimis fabricam callere decebi

* *La ſcience du Coſtume.* * *De l'Anatomie.*

Artificem, ut toto ſparſas in corpore venas;
Nervoſque, gracileſque toros in marmore ponat;
Atque adeò rigidum marmor ſpirare putetur.
Hinc tantos olim plauſus & munera laudis
Verſalicis meruit Pluto [1] ſpectandus in hortis.
Nam ſic in collo, lumbiſque, & poplite nodi,
Sic tenues toto nervique torique videntur
Corpore, & implicitis venarum ſylvula ramis;
Ut teneras carnes, vivum quis cernere corpus
Autumet, ac tumidas inflari ſanguine venas.
* Religio veterum quidquid docet, atque Poëtæ
In ſcriptis cecinere ſuis, non ultimus eſto
Edidiciſſe labor; ne fortè ignarus & expers
Affingas Veneri clypeum, talaria Phœbo,
Mercurio thyrſos, imbelli fulmen Amori,
Et curvos Neptuno arcus, & ſpicula Muſis;
Unde omnis tollat ſpectantum turba cachinnos,
Et bardum artificem pro ſcalpro ſumere trullam,
Aut cœlum jubeat rigidâ mutare bipenni.
* Nunc age quis vivos primus de marmore vultus
Duxerit, antiquâ repetens ab origine pandam.
Quà fluit exundans effuſo flumine Nilus,
Stagnanteſque agros fœcundis alluit undis;
Fama refert vixiſſe olim par nobile fratrum,

1 *L'Enlévement de Proſerpine à Verſailles au milieu de la Colonnade. Ce beau Groupe eſt de Girardon.*

* *De la Fable.*

* *Origine fabuleuſe de la Sculpture.*

Ambo pares ætate, pares virtutibus ambo;
Qui vanos aulæ ſtrepitus, urbiſque tumultum
Ut fugerent, primâ vixdum florente juventâ,
Abſtruſas ſoli nemorum petiere latebras;
Atque ibi tranquillam tecto ſub paupere vitam
Degebant procul à patriâ, amplexuque ſuorum.
Mira fuit præſertim inter concordia fratres;
Nec tanto Niſum Euryalus complexus amore eſt,
Nec tantùm fidus Pylades ardebat Oreſtem.
Uuà carpebant molli ſub gramine ſomnos,
Unà ſecreti fallebant tædia ruris,
Aut toto timidos agitabant æquore damas.
Felices ambo, ſi nunquam tela Dianæ
Tractaſſent, pharetraſque leves, arcuſque ſonantes.
Nam cum fortè ſimul venatùm exiſſet uterque,
Et prædam nemorum ſeceſſus inter opacos
Quæreret, unde cibis menſas oneraret inemptis;
Damonem Alcippus (puero nam nomen utrique
Hoc erat) in ſylvâ, quà plurimus incubat horror,
Aſpicit immotum, & proflantem pectore ſomnos:
Quem ratus eſſe feram, magno molimine telum
Conjicit, & miſeri rumpit præcordia fratris.
Sternitur infelix lethali vulnere Damon,
Et multo vitam cum ſanguine fundit in auras.
Ille volat, prædamque ſibi gratatur opimam;

Neſcius heu! quali macularit ſanguine ferrum.
At quantus gelidos horror circumſtetit artus,
Cum videt exanimi corpus miſerabile fratris,
Liventeſque genas, oculoſque in morte natantes!
Illacrymat, mœſtiſque agros ululatibus implet.
Non ſic amiſsâ viduatus compare turtur
Triſte gemit, raptoſque ſibi ſuſpirat amores:
Non ſic ad glacialem Hebrum, Tanaimque nivalem,
Flebilis Eurydicen Orpheus revocabat ademptam.
*Te, te*, ait, *occidi, Damon, chariſſime Damon,*
*Damon noſter amor, Damon mea ſola voluptas.*
Quin etiam eſt animus fatalem abrumpere vitam,
Et Stygias miſero fratri comitem ire ſub umbras;
Fata obſtant, prohibetque mori Tritonia Pallas;
Quæ purâ extemplò per ſylvas luce refulgens,
*Deſine*, ait, *ſteriles oculis effundere fletus,*
*Et fratri vitam extincto qui reddere poſſis,*
*Accipe: nam quamvis nequeant ad limina vitæ*
*Surgere, quorum oculos preſſit vis ferrea lethi;*
*Si noſtris tamen haud monitis parere recuſas;*
*Ille tuus, duro raptum quem funere luges,*
*Æthereas iterùm frater remeabit ad auras.*
*Tantùm hunc quem viridi revolutum conſpicis herbâ,*
*Arripe felicem truncum, multiſque rebellem*
*Cædito vulneribus, dùm tandem ſumere vultus*
*Fraternos videas, notamque exurgere formam.*
*Ipſa tibi, dextram ipſa reget Tritonia Pallas.*
Dixit, & in tenues averſa evanuit auras.

Aſt ille infixum quanquam ſub pectore vulnus
Triſtis alit, luctuque amens tabeſcit edaci,
Sacra tamen properat mandata faceſſere Divæ.
Protinùs humanam ſumpſit mutata figuram
Arbor, & eduro ſpirat ſub robore Damon.
Ipſe ſuum Alcippus miratur, amatque laborem,
Et verum in ficto ſe cernere credit amicum;
Ars adeò latet & deludit imagine ſenſus!
Hinc porrò, ſi vera fides, exordia ſumpſit
Sculptura, & totum latè diffuſa per orbem eſt.

---

Vû l'Approbation, permis d'imprimer à la charge d'enregiſtrement à la Chambre Syndicale, ce 26 Novembre 1751.

BERRYER.

VITTORIO EMANUELE